

N. N. II, 163.

h. 25, 2.

(X 1880780)

II R
1978

Q. D. B. V.
DE

LIBERTATE STATUUM IMPERII.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. JO. WILHELMO,

DUCE SAX. JUL. CLIV. ET MONT.

&c. &c.

PRÆSIDE

DN. NIC. CHRISTOPHORO LYNCKERO, JCTO,

SERENISSIMI DUCIS SAXO-VINARIENSIS
CONSILIARIO INTIMO, UT ET REGIMINIS AC CONSISTORII
TUTELARIS JENENSIS EMINENTISSIMO,
FACULT. JUR, SENIORE, ET h. t. DECANO, CUR. PRO.
VINC. AC SCABIN. ASSESSORE ET ANTE-
CESSORE PRIMARIO,

DOMINO PATRONO ET PRÆCEPTORE SUO COLENDISSIMO:

IN AUDITORIO JCTORUM,

D. MART. A. O. R. MDC LXXXIIX.

DISPUTABIT

GOTTLIEB SIGMUND BAUSSIUS, MAGDEBURGENSIS.

J E N Æ,

RECUSA Literis WERTHERIANIS.

1699.

519, 18







DE
LIBERTATE
STATUUM IMPERII.

SECTIO I.

DE

NATURA HUIUS LI-
BERTATIS.

§. I.



Gnoscunt hanc Libertatem Cæsares *Monar-*
chia satis tenaces, *Maximilianus I. & Caro-*
lus V., quando dixisse feruntur, *ap. Kirchn-*
nerum: in Germania Regibus se imperare:
quò ipsò majorem Imperii sui auctoritatem
efferunt, eandemque *Leges Imperii* toties loquuntur: e-
gregiò temperamentò, quod res Tacito (in *Agric. c. 3.*)
dissociabiles, Principatum & Libertatem conjungat. Sed
nisi eam *Libertatem* interiùs perspectam habeamus, facile
est, ut Imperium nostrum, Statusque ejus, illabantur infi-
diis, quæ ab exteris, *vindicibus* illis, ut videri volunt, *Li-*
bertatis Germanica, securitati veræ struuntur: illisque

A 2

malis

malis, quæ vel per ab usum vel Statuum, a usus Imperantium, Libertati genuinæ ad versus, oboriri possunt, involvantur. (v. Diff. D. Rhoden de Libertate Germanor. §. 57. seqq.)

§. II. Est verò LIBERTAS hæc facultas eximia, quæ Statibus Imperii, aliò quàm territorii respectu, & vel usu immemoriali vel Legibus firmata, competit, juribus definitis constans, iisque adeò sublimibus, ut per ea similitudinem quandam supremæ eminentiæ & potestatis habeant. Dico (1.) esse facultatem, quò reduco totum hoc potestativum seu complexum jurium Libertatis. (2.) eximiam. Sed non eam, quæ vel Majestas sit, vel Majestatis quid habeat. Nec enim ea nititur autoritate propriâ seu independente, sed illam Statûs ab Imperatore & Imperio venerabundi agnoscunt, jure fiduciariò: indeque locum habet, salvâ Majestate Imperiali, hisce quoque juribus imminente, modumque ab eâ sortitur. Neque verò modus ille determinat & restringit unicè & simpliciter Libertatem hanc Statuum, ut non possint illâ uti citrà præjudicium Imperii, aut ut eam ultrâ limites extendere nequeant: cùm & ipsâ Majestate Cæsar aliâ ratione uti non possit, modumque illa non minùs more & Legibus fundamentalibus habeat. Sed potiùs ille modus habendi Libertatem, ipsam ejus substantiam, non tantùm exercitium, afficit, indeque subjectionem arguit, nec pactis quâ talibus subest, aut Legibus fundamentalibus, quâ pacta sunt, sed quâ vim Legum & Imperii sustinent. Ipse verò modus, qui Cæsaream Majestatem concernit, tantùm exercendi rationem conficit, quæ stare potest cum independentiâ, sed ipsam potestatem non imminuit. Ex quo facile constat

constat

constat, Libertatem Statuum neque ad *Libertatem* illam Imperii, neque *Obsequii*, pertinere, quam *Boxhornius* Libro I. *Instit. Polit. c. 5.* describit. Nam *Libertas Imperii*, quam ille §. 3. *Majestatem Reipublica* appellat, est potestas omninò summa, seu perfectum & independens jus imperandi. Et licèt suò modo Statùs Imperii *subjectum Majestatis commune* in Imperio constituent, tamen non idem est, si *Reipublica Majestatem* penes eos residere diceret; id quod omninò dici hòc sensu non potest: cùm ne quidem paria sint, dicere *Majestatem realem* (cum qua nec illa *Libertas Imperii Boxhornii* per omnia coincidit,) esse penes Statùs, & dicere, quòd illi, quoad hæc quæ potentia Imperii insistent *subjectum commune Majestatis* sustineant. *Libertas* autem *obsequii*, quam *Boxhornius d. c. 5. §. 6.* definit, *potestatem summam populi, quâ Imperantem sibi adstrictum habeat ad agendum ea, quæ promovenda & conservanda salutis publicæ & Imperii Majestati faciant*: in thesi ne quidem recipi potest: cum potestatem summam populo in Imperantem tribuere, perniciosæ res doctrinæ sit. Habent verò Libertatem quandam *obsequii* Statùs Imperii Germanici (quæ tamen illam Libertatem, quam nos hac tractatione exponimus, adæquate non exprimit,) partam sibi vi conventionis seu *Legum fundamentalium*, (non vi Imperii cujusdam aut *potestatis*,) qua intercedere possunt exercitio Cæsareæ Majestatis, ne in abusum vergere queat. Et sanè difficillimum est, ut populus Principem potestate & imperio exuere possit, quo Libertatem illam *obsequii* instruit *Boxhornius d. l. §. 7.* si non Princeps monitis Populi obtemperet. Imò haud unquam illud vigore & intuitu cujusdam

DE LIBERTATE

potestatis fieri potest. Veræ autem Libertatis Imperii Statuum axioma est, quod illam *adversus Cæsarem* cumprimis quæ securitatem conscientis conciliat, vel *armis* etiam, *tueri* valeant. Huc pertinet vox *Mauritii Electoris Saxonis*: *Germaniam tot passus ad ruinam suam facere, quot passibus recedat Imperator à Legibus & suæ potestati gradus addat. Proinde ut in flore & Libertate suâ perstet Germania, necesse esse, ut jugiter Principum Imperii auctoritas & Legum Imperii vigor conservetur: idque unum ad equilibrium sacra esse.* Adhibe ea quæ pro *Bello Smalcaldico*, ap. *Hortleder. Tom. I. von Urs. des T. Kriegs/ Lib. 3. c. 24. & passim*, allata sunt. Et tamen hac in re multâ cautione opus est. Equidem Statûs Imperii sunt *Cæsaris & Imperii subditi*: v. *Ordnung des Landfr. zu Worms. 1521. R. A. 1641. S. 83. & alibi.* indeque revereri debent *Cæsarem* verbis factisque, moremque gerere & obtemperare *Legibus Imperii*, qua tales sunt. Non possunt se Imperio subducere, aut subdicere semet alii: tenentur opem ferre *Cæsari* nomine Imperii, & stare in Imperii iudiciis. Imo ne quidem in suis terris liberâ potestate utuntur, cum non possint decernere de *Religione, Justitiâ, Collectis, &c.* aliter quam Imperii jure definitum est; neque *Leges* aut *statuta* condere *functionibus Imperii* adversas, imò *publicare Leges Imperii & edicta* in suis regionibus teneantur; possit etiam ab illis provocari ad Imperii iudicia. Et quamvis *jus armorum* habeant: illo tamen *adversus Cæsarem* vix uti, & ne quidem *adv.* *Constatum* pro jure suò disceptandò valeant. Quæ quidem omnia cum *Libertate Majestatis* nullâ ex parte conveniunt. Imò licet *Archi Duces Austriae* habeant jura *Regiis*

giis similia, cum decernere adeo possint in ditionibus suis pro lubitu: possint etiam feuda sua & ditiones, deficientibus quoque foeminis, in alios liberè transferre: & ne quidem ad Comitiam comparere teneantur. Tamen ea quoque non tenent propriò sed *dependenti* jure, & plura alia sunt, quæ cum cæteris Statibus non privilegiatis communia habent. Quin nec *Regem Bohemia* civiliter liberum efficit, quòd ipse Constitutionibus Imperii se obnoxium non esse contendat. *X. A. 1551. §. 51. seq. junctò Limnæo III. 8. 28. seq. & 1. add. ad IV. c. 7. p. 460.* Quid vero de *Regibus cæteris*, qui in conditione Statùs, quoad Ditiones quasdam Imperii, constituti sunt? *Gerdesius c. 7. d. Mandat. Avocator. §. 20.* illos tantùm subditos Imperii manere tradit, qui ab initio in conditione Subditorum positi deinceps Regna seu terras liberas acquisiverunt, ut *Austriaci, Holsatia Duces*; non etiam illos, qui cum Reges jam essent, deinde terras ab Imperio acceperunt, ut est v. c. *Rex Suecia*. Nam hunc duntaxat esse Vasallum, non subditum, & pro inde retinere eum plenam libertatem, civilem & naturalem. At verò cum ille Regem Sveciæ *Statum esse Imperii* largiatur: utique in ipsum, quando terras suas Imperiales miscet rebus Regni, (ut in his quæ ad bella & militiam pertinent,) libertate Majestatis quoad terras illas gaudere non potest; verùm jure cujuslibet alterius Statùs Imperii censendus est. Non etiam quando vel Rex Sveciæ vel Hispaniæ, alique Reges cum Statu quodam Imperii, ratione terrarum suarum, quas ab Imperio tenent, negotium suscipiunt, in eo versari àlter possunt, quàm ut substant Legibus Imperii: idemque obtinet, si vel maxime in his talibus cum Rege alio, nec

Statu

Statu Imperii, versarentur. Quid, quod insuper nexus ille, quô in Statum Imperii receptus est Rex unius alterve, efficiat, ut qua fieri potest, etiam *Regni sui negotia* curet, ne Imperio facile nocumento sint: quanquam de cætero verissimum sit, posse eos libere versari in causis Regnorum suorum, ex jure quod Naturæ vel Gentium habetur. Dico (3) *Statibus Imperii*: Nec tamen omnibus *aqualiter*, sed pro diversa *habitudine*. Sic enim *Appanagiatos* quoque Principes Libertatis hujus participes esse constat, qui & ipsi Statûs Imperii sunt, saltem in actu primô: Respicit huc, quod habetur *Part. 2. Theatr. Europ. p. 287.* Daß Ihre LL. und FF. GGn. gebohrne und belehnte Reichs Fürsten/ welche des Religions-Friedens vollkommlich fähig/ auch durch die Brüderliche Theilung dero Fürstlichen Würdigkeit nicht entsetzt/ oder durch die Absonderung Pfalz- Graf W. W. Recht und Gewalt über dieselbe/ dero Hoffstatt/ Officianten / Diener und Dero angehörige Familien und Unterthanen / circa punctum reformandi religionem eingeräumet/ ein solches auch im Reich nie erhöret/ sondern vielmehr ein anders auch mit geringen Standes-Personen vorgegangen. Nec tamen illi omnes species illius Libertatis exercere possunt; saltem non illas, quæ vel ad Imperii Universitatem pertinent, vel non nisi inter subditos locum inveniunt. Sic & *Civitates Imperiales* non gaudent Juribus illis, seu speciebus Libertatis, quæ Dignitatem personalem vel individui concernunt, quippe qua destituuntur; indeque illa tantum obtinent, quæ corporibus accommodata sunt, & in universitatem cadunt: nec simpliciter huc respicit sensus ille, quô aliàs *Libera, Freye*

Freie Reichs-Städte dicuntur: quippe quod solum per hoc intelligantur nulli alii Principum vel Statuum, sed unicè & immediatè Cæsari & Imperio subjectæ esse. Quamvis autem *Immediati* quoque fruuntur nonnullis juribus & prærogativis, quæ ad Jura Libertatis Statuum referimus. Quia tamen non utique *effectus similes* attendendi veniunt; sed ad *rationem formalem*, & quâ causâ quisque facultate quapiam utatur, intueri oportet: hinc ea in iisdem non tam ad Libertatem illam eximiam, quæ Statibus competit, quam ad eam, quæ posthac simplici conventionione aut privilegiò acquisita est, referri debent: quò circa ètiam juribus istis, quæ ex numero Jurium Libertatis, & ad eum penè modum, tenent, cum *plenitudine* illa qua Statibus competunt, nequaquam fruuntur; sed ista intrâ fines conventionis & privilegii singularis coërcentur. Sic v. c. Nobiles immediati August. Conf. *facta* illa paritate Assessorum utriusque Religionis in *judicio Cas. Aulico* non fruuntur: v. Tract. d. *Gravam. extraj. c. 6. §. 29 n. 9.* quamvis in Religionis Libertatem recepti sint: & ista tamen Statûs utique manet. Quæ vero simpliciter ex immedietate profluunt, ut est v. c. jus Austregarum, cum similibus, ea ne quidem hujus eximiæ, sed *communis Libertatis* sunt: nisi quod hîc iterum non in omnibus Immedietas per se, sed quæ personalis est, consideretur; unde nec Civitates Imperii Austregis Legalibus utiqueunt. Porro *Assessores Camera Imperialis* habent jura non modò Immedietatis, sed & Libertatis aliqua, cum primis *A. Conf.* addicti, in causis Religionis, matrimonialibus & similibus: quæ tamen ipsa, quoniam illis non ex conditione Immedietatis, quâ talis est, neque ex conventionione, sed in

B

confe-

consequentiam potiùs & ex usu atque observantia, competunt: inde non rectè Libertatis eximia, quæ Statibus tantùm propria est, sed cujuslibet alterius dicuntur: Sunt enim alia quoque genera Libertatum, quorum quodlibet ex causis suis æstimandum est. Nostra verò Libertas Dignitatem magis & egregiam conditionem Statûs, quam immedietatem, respicit. Denique *Statûs Italiae* huc non pertinent, ubi de Statibus Regni Germanici agitur, quorum illa Libertas peculiaris est. Interim Italiae Principes & Statûs, licet non tantùm quoad Feuda sua, quæ ab Imperio tenent, verùm etiam in cæteris causis, communibus Imperii Juribus & Jurisdictioni Cæsaris, subsint; (Paurmeist. II. V. 60.) tamen multa etiam Libertate valent. Dico (4.) *alio quàm Territorii respectu*. Videlicet ut ex Superioritate Territoriali non profluant: cùm & juribus illis plerisque uti quis possit, qui actu territorium non habet, v. c. *Princeps noviter receptus*, qui territorio nondum instructus est: similiter *Status* quidam Imperii, qui non habent nisi *jurisdictionem civilem*, adeoque territorio destituti sunt: de quibus alibi. Possint etiam uti juribus quibusdam non nisi illi, qui territoria habent; ut ut non qua illa habent, quoniam non omnibus illis competunt. Eò plura pertinent circa Libertatem *sacrorum*, etiam quoad reformationem, qua pollent Statûs Aug. Confessionis in terris suis; sed non qua terras, aut quæ Superioritatem territorialem, habent. Et licet non nisi is qui superioritatem territorialem habet, eò jure gaudeat: tamen cum Superioritas quoque in se magis dependere à Cæsare & Imperio videatur: Libertas illa, saltim per conventionem Legibus firmatam, pari effectum cum fundamentalibus

talibus

talibus, ad faciem *Independentiæ* propius accedit. Jus verò Sacrorum simpliciter spectatum, ex *hypothesi* quidem illorum, qui *A. Conf. additi* sunt, partem alteram *Superioritatis Territorialis* constituit; sed tamen non protinus inde sequitur, istud Statibus illis antehac competiisse, & deinceps per *Pacif. Religiosam* restitutum potius, quam de novo collatum esse. Interim penes Statûs *Catholicos* etiamnum in eò diversam habet naturam *Territorialis Superioritas*. Dicitur quidem etiam *Superioritas Territorialis libera*, sed vulgari sensu, quod nullatenus impediri debeat: indeque firmatur Statibus Imperii, in *Art. VIII. Instr. Pac. pr. Juris Territorialis liberum tam in Ecclesiasticis quàm in Politicis exercitium*. Nostra autem Libertas Superioritate etiam amplior est, & in quibusdam, extrà spheram territorii, per *universum* porrigitur. Quæ vero intrà territorium habentur jura, & ad ipsum diriguntur, eorum aliqua, licet Libertati ab aliis imputata, facilius quidem ab illa secernuntur; nonnulla difficilius. Ad ista pertinet, quod *Cæsar* cum Statibus in ipsorum jurisdictione *non concurrat*, quodque hæc illò præsentem non quiescat, nec *avocare* possit Cæsar subditos à Statuum judiciis: similiter quòd in *Criminalibus* à Statibus appellari non possit. Quæ quidem ut rationis regularis sunt, & appellationis quidem prohibitio in *Criminalibus* ratione publicâ nititur: quam exponit *D. Hugo c. 3. d. Statu Region. Germ. n. 42. seq.* cæterorum verò causa ex indole jurisdictionis patrimonialis pendet, iisque similia inter vassallos etiam & subditos ipsorum Statuum, qui jurisdictionem à Dominis territorii agnoscunt, observantur: ita ad Superioritatem Territorialem unicè respiciunt. *Hujus* verò posterioris generis, &

quæ Libertatem magis indicare videntur, sunt inter alia: quod in Status committatur *crimen Majestatis* analogum: quod habeant jus *Testamenti oblati*, juxta *l. 19. C. de Testament. ut & Jus Archivi*: quod à *Statutis* territorii sui immunes sint: quod *eminens* habeant *Dominium*: quod subditus adv. ipsos *prescriptione tantum immemoriali* utatur in his, quæ in modum similem jure communi, respectu Imperatoris, non antè extingvuntur. At verò hæc omnia non tam Libertatem quàm *Imperium* referunt, idque plus quàm Magistraticum, adeoque Superioritatis Territorialis habenda sunt. Non dicam, quod illorum quædam non personam tantum Imperantis respiciant: nam quod *Libertatis jura simpliciter personalia* sunt, immeritò asseritur: quippe quod ad jura quoque Statuum, resque illorum & actiones in judiciis, pertingant. Differt etiam Libertas ista à *Potentatu*, qui solum potentiâ, seu actu primò, omnibus, & faciliùs quoque Immediatis, quam Libertas, (sed hæc omnibus Statibus, quanquam diversis gradibus, actu,) competit: quanquam Libertas illa Potentatum valdè promoveat; & Potentatus Libertati tutamen præstet. Nam ita non liceret sperare auxilia exterorum, etiam pro Libertate tuendâ nisi foedera cum illis jure Potentatûs inire permissum fuerit. v. *Literas Mauriti Elect. Saxonis ad Ordd. 1552. ap. Thuan. Lib. X. Histor.* Nil etiam desiderat virium & potentiæ Libertas. Sed illis unicè Potentatus nititur, isque vim & Bella maximè respicit: Libertas etiam in tranquillo perstat, & tunc maximè tuta est. Dico (5) *Ufu immemoriali*: ut solet in talibus, quæ per incrementa sensim acquiruntur; quippe quorum originem definire non licet. Nec tamen Libertatem hanc
ab

ab *initiiis* ultimis *Gentis Germanicæ* petere fas est, cum hîc de indole populi totius genitâli, & characteribus antiquis, *ap. Tacitum & al.* expressis, non agatur; sed de prærogativâ præcipuorum, & quidem Statuum moderni Imperii Germanici: nam sæpius populis antehac liberius habitis nunc adstrictius imperatur; cui vel sola Gallia exemplum præbet. Quin & *Carolus M.* Proceres Germaniæ in ordinem redegit, eoque stetit Respubl. per tempora Carolingorum; usque dum extinctâ stirpe Carolinâ ad libertatem majorem reverterentur, suisque terris quasi patrimoniis insisterent. Nec simpliciter vera sunt, quæ nonnulli audacter scribunt: Postquam Germania facta sit sedes Imperii, quod abhinc Gentis mores, ingenia & libertatem, imitata fuerit imperandi conditione: Germaniæ enim populos, quando liberi fuerint, aut Principibus illis distincti, qui Regiè sinè superiore regebant, nec illos nec hos voluisse subire Imperium, nisi salvâ libertate. Sic ergo Libertas, ajunt, Principum & Civitatum in Germaniâ, (quamvis illi latius accipiant libertatem, & connexa etiam jura illi involvant,) non ex concessione, gratiâ aut privilegio originem habet; sed ex primævo Gentis statu, quo nemini aut vi armorum aut suâ voluntate, penitus subiecta, libertatem ab *initiiis* suis habuit, semper retinuit atque defendit: adeò ut *Carolus M.* suppresserit tantum libertatem illam, quam postmodum Statûs reassumserint, nec petenda sit origo Superioritatis à Ducibus & Comitibus, sub tempora desinentis stirpis Carolinæ, sed longè altius & ante ipsa tempora *Caroli Magni.* Quidni ab *Aschanaze* aut *Tuistone*? Et tamen ad propiora tempora revertuntur, quando dicunt: reservatum ab Ordinibus, quod ipsi non de-

derunt Cæsari; nec indigere quâ istam Libertatem privile-
 giis aut beneficiô alterius, sed niti conditione pristina,
 Non longè hi abscedunt ab *Hippolitbo à Lapide*, quando is
in Part. 1. cap. 3. d. Rat. Stat. Imp. Germ. Sect. 2. n. 12. tra-
 dit, quòd olim & semper Statûs participes fuerint summæ
 potestatis, atque pro ipsorum Libertate contra Cæsarem ejus-
 que potestatem præsumatur. At verò ille totam quam vo-
 cat Libertatem ad universitatem Imperii, & vel ipsum jus
 imperandi, refert: cum tamen Libertas, etiam quâ in
 causis totum Imperium concernentibus respicitur, vim
 ipsam Imperii s. potestatem non ingrediatur; de cætero
 autem jura tantum particularia contineat. Est quoque fallax
 penitus, & adversa historiarum legumque Imperii progressui
 doctrina illa, quod precariam Cæsaris Majestatem inducat.
 Nam licet Majestatem Cæsari deferri constet *more Majorum*,
 hoc est, salvâ Libertate, quâ Statûs ab antiquo gavisi sunt;
 tamen hæc Libertas Majestatis quid non habet: quippe
 quam totam & omnem Cæsari Status deferunt, isque dehinc
 jura recepta & Libertatem, Statibus, illasâ & salvâ Majestate
 debitam, tum & Legibus subjectam, vicissim relinquit & fir-
 mat: ut eandem non aliunde quàm à Cæsare & Imperio re-
 cognoscant. Quamvis igitur Libertas illa ab eo tempore,
 quò territoria Statibus jure patrimonii dimissa fuerunt, valdè
 creverit: liberior quoque electio Cæsarum & adstrictio eo-
 rundem magnum ei incrementum dederit; omni vero
 tempore Statûs sibi de integritate jurium adv. Imperantes
 prospexerint: unde Imperatores electos *Statibus Liberta-*
tem, omnibus justitiam, jurâsse *Lebmannus Lib. IV. Chron.*
Spir. c. 10. perhibet: cumque Ordines, per diuturnum
 Fride-

Friderici III. Imp. regimen, qui Imperio per 53. annos præerat, sibi que vivo filium *Maximil. I.* addi curaverat, additiùs aliquantum haberentur: atque exhinc sub *Carolo V.* Libertati suæ prolixè & in certacapita prospicere necessum duxerint; Tamen origo Libertatis usui potius ultra hominum memoriam invalescenti, & firmamentum plurium specierum, imo inductio unius & alterius, conventionibus seu Legibus Imperii adscribi debet: quas inter jam ante Capitulationes *A. Bulla* *Caroli IV.* censenda est; quando per illam Imperator Statibus *Privilegia, literas, jura, Libertates, concessiones, antiquas consuetudines, Dignitatesque confirmare tenetur. c. 2. A. Bull. §. 5.* Utrique ausus promiscui fundamentum Libertati non nisi vitiosum præbent, quales plures jactat ubique *Hippolithus à Lapide*, licentiam pro magnanimitate, & imò pro jure seu Libertate, venditans: sicut *Forstnerus* ad istud *Taciti XI. Annal. XVI. Adimi veterem Germanie Libertatem & Romanas opes insurgere. Libertatem ait, vocant, qui nullis Legibus teneri volunt, licentiamque factionum ut jus & fas sibi vindicant.* Dico (6) Legibus firmata: ne Statùs nullò jure agere videantur: & vel specificis seu disertis, vel generalibus: ut tamen conventionis aut concessionis perpetuæ modum, effectum v. & vim Legis ac sanctionis Pragmaticæ, habeant; velut ex *Aurèâ Bullâ, Capitulationibus, Instrumento Pacis Osnaburgensi,* aliisque, etiam anterioribus *Juris Publici Partibus,* constat. Sed quæ Statuum uni pluribus, (ut est jus *de non appellando,* cum similibus,) ex *Privilegio* tantum, propriè & strictè sic dicto, acquisita sunt: illa ad hanc nostram Libertatem nequaquam referri debent. Licèt enim ex par-

te usus ille immemorialis, seu præscriptio, quâ pleræque Libertatis species nituntur, *instar privilegii* se habeat, tamen utrobique ejusd. quoad vim causandi non eadem ratio est; quicquid etiam quoad effectum, quamvis ne sic quidem omni ex parte, coincidunt: cum longè facilius ea, quæ peculiari privilegio exortum debent, convellantur, quàm quæ universis & singulis Statibus quæsita sunt. Intereâ Statûs etiam illa, quæ ex usu longævo obtinent, beneficio Cæsaris & imperio debere, nec ex semetipsis acquisivisse, diximus: ut sunt ista, quæ præter Superioritatem territorialem, cum facie quâdam independentiæ, communiter adepti sunt. Videlicet Libertatis illa jura (1.) non videbantur privilegiis facilè concedere voluisse Imperantes. (2.) Privilegia liberam magis & spontaneam Cæsaris beneficentiam arguunt; Libertatem vero quæsita & propriæ Statuum facultates attrahunt: eaque vel conniventiam vel necessitatem derelinquendi obstetricem habet. (3.) Libertas Majestatis præbere indicium in Statu posset, nisi alia juxta obstarent; sed non ita Privilegia. (4.) Hæc etiam singulis dantur; sed Libertas universos saltem Statûs respicit. (5.) Privilegia magis ornant concessionarios, ut beneficiatos & dependentes; sed Libertas magis ut Status, perpetuâ facultate, eaque prærogativam singularem, atque Regno insolitam, præ se ferente, prævalentes. (6.) Privilegium ad personam Cæsaris ejusque benignam voluntatem, licet Imperii nomine declaratum, refertur; sed Libertas ex Imperii genio procedit & in Cæsaris sive permissione sive concessione terminatur. (7.) Privilegium per se & ipsum est titulus, Libertas & usus ejus

ad

ad instar tituli. Hinc petitorio Libertas titulum effectivum tribuit, privilegia formalem. (8.) Libertas non adeo confirmatione indiget, eò quòd Regni Legibus fundamentalibus innexa sit, ceu quidem Privilegia: quæ securius Imperanti per electionem, in Regno maximè libero, succedenti, ad confirmandum offeruntur; & vim majorem ex confirmatione per plures successores iteratâ accipiunt. (9.) Libertas in complexu venit, privilegia singularia & sparsa sunt. Illa certis juribus & definitis constat, non ita privilegia. (10.) Communia etiam sunt privilegia Mediatis, & hinc simpliciter Majestatica sunt, Libertas verò non nisi Statuum est; & hinc Majestatem Cæsaris respicit, quâ conservantem nec repugnantem: ut tamen salvam illam nec imminutam relinquat, & obsequium illæum servet. Nimirum quoad privilegia dubitari non potest, quòd privilegiatus concedentis Majestatem agnoscat; quo ad Libertatem verò posset primò intuitu dubitari, nisi ad cætera Statuum jura progrediaris. Non ergò est istius Statuum Libertatis, quando *Lübica & Argentoratum* ab homagio Cæsari præstando *libertatem* tuentur. (v. Fritsch. p. 2. *Elect. Jur. Publ. c. 6.*) Non etiam eò pertinent, quæ initio sive singulis sive certo ordini per privilegium concessa sunt, quamvis deinde ad Statum quoque cæteros pertigerint; cum primis quæ non adeo speciem quandam potestatis summæ præferunt: qualis est vel concessio vel confirmatio *auri & argenti fodinarum*, ut & *minerarum*, per *Carolus IV. in A. B. c. IX. §. 1.* Regibus Bohemiæ, nec minus Electoribus universis facta, in suis territoriis, & dehinc Principibus quoque & Statibus, qui metalliferis terris gaudent, aliis. Similiter *Jus Monetandi*, v. *A. B. c. X §. 1.*

C

& privi-

& privilegia *seculò XII.* quibusdam, ut monetam *auream* quoque cudere possent, tributa: ut & *Capit. Leop. art. 34.* Porro etiam *receptio Judæorum*, quæ itidem vigore *A. Bullæ. c. IX. §. 2.* Electoribus tantùm comperit; successu verò temporis ad cæteros quoque Statûs, imò etiam alios, qui terras aut regalia ab Imperio habent, vel singulari privilegiò desuper concessò instructi sunt, spectare cœpit. *P. O. de An. 1548. Tit. von Juden und ihrem Bucher / ibi: die von Uns und dem Röm. Reich Regalia haben / oder insonderheit derhalben privilegirt seynd.* Dico denique (7) *similitudinem quandam supremæ eminentiæ & potestatis.* Non ergo veritatem. Nec similitudo illa per omnia transit. Non etiam hæc similitudo ad *potentiam* refertur, indeque distinctionem à juribus Potentatûs recipit: quæ ad potentiam videlicet ac vires Majestatis seu Imperii summi respiciunt, earumque similitudinem aliquam producunt.

§. II. Quòd si in fomites seu alimenta & *sustentacula* tantæ Libertatis inquiramus: (nam causas productrices jam indicavimus,) ab eò tempore quò dignitas Saturnum ad jura terrarum invalescere cœpit, Libertas quoque eorundem magis invaluit; & magnò adjumentò fuit præ cæteris: quòd nil graviorum negotiorum sinè Statibus suscipi posset, quòdque Cæsarem Imperii nervum & subsidia magis magisque petere à Statibus oportuerit, tandemque nil ipsi terrarum, nil ferè reddituum, quæ tali, in Imperio superfuerit. Inde sub libertate electionis Imperatoriæ quisque sibi ad rem privatam prospexit, & in publicum potestas Cæsaris coarctata, modusque Imperii, maximè postquam in plura capita Cæsarem adigi receptum est, exactiùs definitus, & Libertatis
 usui

usui disertâ pactione prospectum, quin & nova capita subinde inducta sunt. Neque enim plus etiam, quoad regimen universi, relictum est potestatis Cæsari, nisi quod communis Reip. utilitas, quam in Libertatis custodiâ reponi videmus, requireret; Ordinibus verò potestas suarum terrarum indies amplior reddita est, quantum fieri potuit, ne Majestas Cæsaris ex substantiâ potestatis incommutabiliter requisitâ deliquium pateretur.

§. III. *Argumentum* præcipuum Libertatis Statuum seu indicium, in eo collocant, quòd Principes se tales esse scribant: DEI GRATIA, von Gottes Gnaden: de quo ut rectius cognoscatur, usurpationem illius formulæ, quæ nunc in *curialem* transiit, & inter titulos, quibus se ipsum quisque sistit, recepta est, ex serie temporum deduci oportet. Epim verò *Cæsares* hâc præscriptione dudum usos fuisse, ex antiquissimis monumentis constat. Reperitur illa deinceps etiam in II. F. 27. pr. II. F. 55. pr. & V. F. 1. 10. & II. ut & *Libr. d. Pac. Constant.* idque modò simili, quò *Reges* Majestate præditi eadem utuntur, Eorundem immediatum cum Deo nexum denotat: quòd Dei nempe vicarius in Imperio sit Cæsar, licet Majestatem per causas secundas seu electionem acceperit. Est enim deferendus *Limneus*, quando in *Add. 1. ad Libr. IV. c. 6. f. P. n. 15.* tradit, Imperatorem uti titulo *DEI Gr.* quamvis Majestatem realem superiorem habeat in Imperio. Plane quòd *Cæsares* istâ formulâ idèò usi fuerint, ne *Pontifici* debere viderentur imperium, non facilè dixerim. Legitur verò illa jam ante Carolum Magnum *sub Francorum Regno*, etiam in ipsis Regni subditis, maxime *Episcopis*, quòd hi indignos se censerent eò munere, quo

Deus

Deus ipsos ex millenis respexisset. Nam ita *ap. Lehman. I. Chron. Spir. 8.* in privilegio *Diagoberti*, A. C. 546. *Cunibertus D. G, Episcopus. Et Theodoricus Francor. Rex, Seculô VII.,* in Privilegiô quodam, *Perminium D. G. Episcopum nominat. Sub Pipino, Audomarus Abbas in DEI nomine audit, apud Vadian. Lib. II. d. Monast. p. 56.* Sub ipsô *Carolo M.* reperitur : *Ego Lullus D. G. Moguntinæ sedis A. E. A. C. 910. ap. Brovver. III. Antiquit. Fuld. c. XI. p. 206.* Et in subscriptione : *Ego in Dei nomine Hatto A. E. & Cancellarius.* Sic enim ad paria videas redacta, *in Dei nomine & Deigratia.* Nec tamen facilè sub regimine *Carolingorum* videmus, *Episcopos illâ formulâ usos fuisse; quanquam nil posset suspecti videri in expressione devotionis, qua subsidia Principalis officii, spem omnem, gloriam, sapientiam, fortitudinem & divitias suas, cum exclusione pretii meritorum priorum, Principes ad Deum, tanquam fontem, unde per canales ducantur, (v. Job. XIX. II.) referunt. Nam & in ipsis Cesaribus formula pietatis, nec solennis, sed prout placuit, adhibita; postmodum verò ordinaria facta, & paulatim in alios sensus pertracta est. Sed formulæ illius, quæ titularis habetur, ut : Nos Dei gratiâ, vetustius monumentum non occurrit, quàm quod ad Ottonis II. Imp. tempora, & sic ad Sec. X. spectat in Ottone Duce Wasgovia, A. C. 977. ap. Phil. Simon. in der Beschreibung der Bischöffe zu Speyer. fol. 30. Interim nec dum cessavit, respectus pietatis : Sic enim ap. Trithemium in Chron. Sponheim. & Hirsaugiens. Ego Wilhelmus nullis meis meritis, sed solâ Dei misericordiâ, cœnobii Hirsaugiens. Abbas. v. ann. 1083. 1124. 1127. & 1130. Et Episcopi, aus Gottes Erbarmnis / aus Vorsicht und Ver-*

Verhängnis (i. e. Willen. v. Limn. I. add. ad. VII. c. 48.)
 Gottes/ *miseratione, patientiâ*. Quamquam *seculares* quo-
 que his formulis usi sint: Ita *Friederich/ von Verhängnis*
Göuliche Majestät Herzog zu Schwaben und Fran-
ken. ap. Crus. P. 2. Lib. 7. Annal. Suev. c. 1. & Ludovicus,
Comes Loffensis, se patientiâ Dei talem vocat, ap. Chifflet.
c. 5. Vindic. Hispan. p. 39. Sicut autem Episcopi, cum primis
ab Henrici V. Imp. ætate, frequentius Dei & Apostolicæ sedis
gratiâ se tales scripsere. Brovver. Lib. III. Annal. Fuldens.
c. 9. p. 197. ad propensionem aulae Pontificiæ aucupandam:
Ita seculares aliquando, suam Dignitatem ad Caesaris grati-
am, retulisse videmus; sicut inter alios Conradus de Zarin-
gen A. C. 1128. Dei & Imperatoris gratiâ, ap. Guillimann.
d. Reb. Helv. Lib. II. c. 15. p. 284. & Berchtoldus Dux &
Rektor Burgundiæ, Dei & Imperiali gratiâ, A. C. 1187. ap.
Goldast. Tom. 1. Alem. P. 1. p. 215. quin &: Ottocarus Dei &
Imp. gratiâ Bohem. Rex, ap. Megiser. Lib. VIII. Annal Ca-
rintb. c. 37. legitur. Atque sic paulatim sensus ille pietatis,
cum reverentiâ capitis terreni, permixtus est; donec ad
pristinam formulam, Dei gratia, potentiores reverterentur,
inferiores autem, oblitterata dudum formula pietatis, imi-
tari cæteros vererentur, & plerique Principibus illud axioma
relinquerent. Nunc enim Prælati & Comites (& ne qui-
dem amplius Nassovii, Hanovienses, Solmenses,) illò non
utuntur: cum tamen Prælati aliquandiu etiam se Dei Gratiâ
scripserint. Höpping: d. Insign. c. 22. §. 2. n. 33. Et non tan-
tum Comites Principares (v. Besold: cons. 195. n. 16.) sed &
Comites simplices, eò usi fuerint. Nam ita occurrit: Me-
ginhardus D. G. Comes Sponheimensis, (in Annal. Trithem.)

A. C. 1005. Comes de *Hohenberg*, A. C. 1288. Nos Eberhardus D. G. Comes de *Württemberg*. A. C. 1291. in *Docum. Württenb. f. 734.* von Gottes Gnaden Graf zu Oldenburg. *ap. Höpping. c. 9. d. Jur. Insign. n. 22.* Henricus D. G. Comes de *Blanckenburg*. A. C. 1325. *Quin & Praepositi, nec non Decani Ecclesiarum Cathedralium. v. Stollberg. Deduction wegen Königstein / in Bevilagen / n. 3.* item *Barones*: *Robbig. Lib. 3. Lexic. Critic. c. 9. p. 132.* ut & *Nobiles*, sicut *Nobiles de Nissen*. A. C. 1293. *v. Docum. Württenb. p. 515.* Imò & *Comites Palatini Titulares*, se tales Dei gratia vocarunt. *v. exemplum de A. C. 1306. ap. Selden. P. 2. d. Titul. Honor. c. 2. n. 44.* & *Praefectus* quidam *Holsatiae*, A. C. 1245. se talem *Dei gratiâ* appellavit. *ap. Lambec. Lib. 2. Rer. Hamb. Sect. 49. n. 5.* Igitur nec *Majestatis* index esse potest illud *Dei gratiâ*: quò etiam seculò X. XII. XIII. se scripserunt *Duces Venetiarum v. Megiser. in der Beschreibung des Herzogs von Venedig. p. 359.* nec *Superioritatis Territorialis*: quod eò etiam *Principissa & Principum liberi* utantur. *Besold. cons. 150. n. 7. seq.* imò ne quidem *Immedietatis*: adeo ut inde *Libertatem*, pro *Comitibus Waldeccensibus*, contra *Landsassiatum*, male probare instituat *Author der Waldeck. Ehrenrett. p. 1. c. 8. in fin.* & pro *Com. Gleichensibus*, *Sprengerus Lib. 3. Inst. Jur. Publ. c. 28.* eò quod ex his etiam *Seculò XIII.* A. C. 1277. *Albertus D. G. Comitem de Gleichense* dixerit, *ap. Draconem d. Orig. & Jur. Patricior.* Sic enim *Henricus D. G. Comes Blanckenburgensis* *Bernhar- do Comiti Anhaltino*, A. C. 1325. scribebat: *Usem Herren. v. Vindic. Anhalt. p. 5.* & *Burggravii de Kirchberg.* illò axioma- te usi sunt. Reperias etiam istud usurpasse eos, qui in
Digni-

Dignitate nullâ illustri, saltem non perpetuâ, positi fuere, ut sunt Deputati ad Tractatus Pacis, & sim. v. Limn. Lib. 2. Notit. Franc. c. 6. lit. M m m. Illud tantum asseri potest, non amplius formulam hanc promiscuam, sed *Principibus ferè propriam & titularem esse: adeò ut si per eam Libertatis quid indicetur, quâ tamen etiam fruuntur Statûs præter Principes alii, subesse saltem quid oporteat prærogativæ familiarum Principum, atque Comitum illorum, (velut Swarzburgicorum,) qui elogium illud ab antiquo retinuerunt: Quapropter etiam Ferdinandus II. Imp. in Diplomate Dignit. Princip. pro Hobenzolleranis, d. Anno 1623. adducit: das die regierende Inhabere der Graffschafft Hohenzollern sich allweg von Gottes Gnaden geschrieben. Ita ut nunc quidem illi omnes prædicatò illò non utantur, qui bona possident regalem dignitatem annexam habentia. Interim ab eo tempore, quo in Principum ordine Libertatem singularem indicare visum est, non passi illud sunt adhiberi amplius à Principibus suis. Reges Gallie: ut cumque Patres Gallie, Duces & Comites, illò Dei Gratiâ non minus usi fuerint: teste Bertrando Argentæo, Lib. I Histor. Britann. c. 28. Posthac enim legimus Johannem Armaniacum Comitem, seu d' Armagnac, sub Carolo VII., propterea reum læsæ Majestatis accusatum esse, quòd titulò D. G. usus fuisset. Jo. de Bussieres Lib. XII. Hist. Franc. c. 26. Herod. VII. rer. judic. Tit. 3. c. 9. Idemque evenisse, sub Ludovico XI. Francisco Armoricorum. Britannie Duci. Nec tamen idcirco cessarunt Duces illi præscriptione hâc D. G. uti, quamdiu Britanniam tenuere: ut Limneus tradit, Libr. II. Not. R. Franc. c. 6. Lit. qqq. Pertinet huc Bodini locus, Lib. I. d. Republ.*

*Republ. c. fin. p. 269. Sunt alia pleraque levissima, ait, quæ Principum propria dicunt, vel ad decus vel ad dignitatem, ut Rescriptis addere: Gratiâ Dei. Quæ verba Ludovicus XI. Rex Franciscum Armoricorum Ducem de suis rescriptis detraxere jussit; tametsi in omnibus ferè antiquis fœderibus usitata legimus, nec Principibus modo vel Ducibus, sed etiam minimis Magistratibus ac Legatis, adscripta. Quanquam nunc etiam Episcopis & Abbatibus in Galliâ formulas pietatis minus ambiguas, ut sunt, Divinâ miseratione, misericordiâ Dei, & sim. usurpare liceat. In Germaniâ v. cum ante Libertatem istam insignem, & quidem sensu vix aliò quàm pietatis, obtinuerit, non potuit pro argumento Libertatis haberi, nisi quòd deinceps eò pertractum fuerit. Quam igitur falsa sunt omnia, quæ ab aliis in hanc scenam producuntur. Et quàm iterum variat *Limnæus*? ut solent, qui sibi non constant, quando in *Obs. 6. ad proxem. A. B. tradit, illos præ cæteris uti pòsse illò prædicatò D. Gratiâ, qui cum terris suis propriis Imperio accesserint. Qui v. Principes creati fuerint à Cæsare, illos usu & consuetudine sibi prædicatum hoc etiam attribuisse, conniventibus Imperatoribus. Imò Imperatorem videri etiamnum indulgere id Principibus noviter creatis, quando in Diplomatum concedat ipsis, den Fürstlichen Titul und Nahmen zu führen. Ad idem pene recidit doctrina illorum, qui docent, prædicatum istud eos retinuisse, qui ex prosapia Veterum Ducum Germaniæ orti in potestatem deinde redacti sint, aut qui ultrò accesserint Imperio, velut in solatium imminuta potestatis. Quæ tamen somnia mera sunt; non minus atque illorum, qui Principes deò se scribere D. G. conjiciunt, quoniam familie quædam illorum**

illorum *Cæsareæ* aut *Regiæ* sint. Refelluntur etiam ex supra dictis, qui exhinc Principes illò titulò uti putant, idque jure propriò, quoniam à Cæsare *in consortium Majestatis* Imperialis assumpti sint, ut *Carpzov. de Leg. Reg. c. 1. sect. XI. n. 10. seq. & c. 13. sect. II. n. 9.* & post illum *Feltmannus de Titul. Honorif.* Itane Comites, Civitatesque Imperiales negotiis Imperii non admovebuntur? Suaves sunt illi, qui prædicatum istud Principibus *rat. Comitiorum* asserunt, præmittere tamen id ajunt illis quoque causis, Superioritatem territorialem innuant, quia hæc nemini competat nisi Statui Imperii. Mireris *Bæclerum c. 3. d. Auspicio Regio. p. 241.* contra seriem Historiarum, scribere, *initiò usurpari cœpisse formulam D. G. ad significandam potestatem nemini obnoxiam: nec dubium esse rectè uti Principes eâ formulâ, quia jura Majestatis* (sic enim Juribus Imperii obloquitur,) *in suis provinciis quisque habeat:* Eadem notat ad *Otton. Jus Publ. c. 5. p. 13.* Esto enim quòd Principum Germaniæ status non sit Magistraticus, sed patrimonialis; tamen non potest quoque *Gerdesii* admitti traditio, *inc. 4. d. Mandat. Avocat. §. 2.* *Istud von Gottes Gnaden / usurpâsse Principes, ut proprietates suas soli Deo acceptas ferrent, indeque illud non ex Cæsarum indultu aut privilegiò, nec ex jactantiâ, sed ex prisco jure titulum illum, in argumentum Libertatis, retinuisse.* Propè enim est, ut exemptionem plane exhinc inferant: quod quidem fieri non debere, *Carpzovius c. 7. sect. VII. n. 2. & 3.* (ubi de *Duce Sabaudie*,) admonet: idem qui cùm alibi Majestatis indicem ex illò prædicatò exsculperat, in *cap. 3. d. Leg. R. sect. XIII n. 6. seqq. & in P. 1. crim. qu. 41. n. 25.* (ex *M. Stephani* sententiâ, *Lib. II. d. juris d. Imp. p. 2. c. 7. n. 40.*

D

quem

quem & alii plures, interque eos *Besoldus d. Majest. f. 17. Speidel. ad Rümelin. Diss. I. in A. B. p. 1. §. 4. a.* nec non *Mylerus*, sequuntur, non uti, scribit, Principes illò axiomatico jure propriò, quippe qui Superiorem agnoscant; sed ex privilegio, observantiâ & consuetudine immemoriali, atque adeò ex patientiâ Cæsaris. Fallunt denique illi, qui docent non pertinere quidem illud Dei Gratiâ ad modum habendi, siquidem acquisitio utique ad Cæsarem referatur; pertinere v. ad rem ipsam: non aliter atque Rex à populo constituatur, qui tamen sublimitatem suam à Deo habeat. Utique Principes, ipsique Electores, *ad Cæsarem* scribentes, non scribunt **VON Gottes Gnaden** / scribunt tamen in *actis Imperii*: v. *Subscript. R. I.* nec in numero *multitudinis*; sed in singulari, **Ich / Mir / ic.** Nec tantum in rebus ad terrarum suarum regimen pertinentibus, sed & quæ ad domum suam privatam respiciunt: & in quibuscunque adeò actibus suis, illam formulam adhibent; ut *solemnis* ab immemoriali tempore redita fuerit, etiam inter plures cuilibet adscribenda: v. c. **VON Gottes Gnaden Wir N. N. und von desselben Gnaden Wir N. N.** & ubique cum toto titulo, (quam formulam quoque integram literis suis *ad pares* datis supponi curant, *die courtoisie* appellamus,) idque *ab ipsismet Principibus*, ut adhuc in eo *quid pietatis* remanserit: neque enim alii, ad ipsos vel de illis loquentes, idem titulis inserunt. Cæterum ad alios quam Cæsarem, numero *multitudinis*, præterquam **in denen Handschreiben** / utuntur. Occurrit sanè ap. *Classicos* etiam *Nos pro Ego*. v. *Robbigium Lib. III. Lexic. Critic. c. 9.* & alibi frequentius, tam in Principibus quàm *privatis*, ut *Mabillon. Lib. II. Art. Diplon. c. 6. §. 1. seqq.* ostendit: Quod

Quod quidem ut *modestia* este constat, Eras. *d. conscrib. Epist. f. 62.* ita etiam *authoritatis* in Principibus esse, consuetudo induxit. v. *cap. 6. X. de crim. fals. c. 40. d. R. I. in 6.* Idque in *Abbatibus* etiam & *Comitibus*. Sic enim in *Räyserl. Landfried. 1584. §. 7. Wir / Graf / & R. A. 1548. §. 108. R. A. 1551. §. 109. Wir / Abbt /* quanquam etiam de eod. *Abbate Weingartensi* reperias *Jch / R. A. 1544. §. 104. & de eod. Comite Fürstenbergio. Jch / Graf / R. A. 1512. §. 30. & R. A. 1544. §. 104.* Nempe nil adscribere videntur sibi singularis potestatis, Principes aut Comites, (nec tamen per hoc communem sibi eam volunt cum aliis, sed quam à Populo teneant, inque salutem ejus, & cum consilio aliorum gerant; non etiam ut arbitrio suo confidant. Quin & magnitudinem dignitatis & potentiae innuit, quod instar plurimum, & vel totius populi sui, Princeps habendus sit. Cæterum varie usurpatur vox illa multitudinis, *cum effato Dei Gratiâ.* Et nunc quidem videas maximæ dignationis haberi, si nomen Principis in fronte ponatur. *Leopold v. S. S. Ludwig / Carl / Friederich Wilhelm / v. S. S.* ut cum Cæsare *Reges,* & paullatim *Electores:* (licet antehac reperiamus, *Wolfard D. G. Administrator in Borussia, & Comites, qui Dei Gratiâ* nomini suo, vel omissò *Wir /* præposuerunt.) Succedit, *Wir* (subjectò nomine) *v. S. S.* ut *El. Mog. Wir Serlach von Gottes Gnaden / anno 1354.* quod etiam *Reges* in usu habent. *Wir Carl v. S. S. &c. Dehinc v. S. S. Joh. Georg. / (Churfürst /) v. S. S. N. N. Herzog / vel v. S. S. Wir N. N. (Churfürst.) Herzog zu S.* Imo etiam *v. S. S. Christian der III. König in Denna mark.* Nec enim ubique accuratius hoc servari videas; sal-

tim Principes in eo Electoribus hactenus paria fecere. Cum igitur pluralitas illa ad auctoritatem & faciem publicam pertineat: hinc & ipse *Cæsar*, in *denen Handschreiben* / ad Electores & Principes eos, quos illis dignatur, in singulari scribere solet. *Pontifex* etiam in sermone & epistolis familiaribus singulari utitur. Unde magnæ humilitati, adscribit *Panormitanus*, quando *inc. 2. X. d. præscript.* habetur: futuris *post me* Pontificibus.

§. IV. Quod de curiali illo *Dei Gratiâ* diximus, idem ferè de eò dicendum est, quòd Principes Imperii, *coram Cæsare* comparentes, *Caput operiant*. Enimvero quoniam curiali isto D. G. non utuntur ergà Cæsarem, utuntur autem aliqui etiam infrà Dignitatem Principum positi, non utuntur Legati ipsorum: ipsi verò utuntur liberè, suò arbitriò & Dignitatis quodam jure: quæ quidem omnia in usu operiendi caput aliter obtinent. Hinc ne quidem hoc pro Libertatis indicio *adequato* haberi debet, verum unicè pro argumento Dignitatis præcellentis, quam Cæsar *Principum* ordini tribuit: eò lubentius & majori decentiâ, quòd cum isto Libertas simul egregia concurrat. Neque enim hòc sibi Principes aliter sumunt, quam Cæsare admonente; meritoque Cæsar admonet, cum aliter versari cum Principibus tantæ Libertatis non licere noverit. Igitur cruda est *Limnæi* traditio, *Addit. post ad Lib. IV. Jur. Publ. c. 8. n. 1.* Quod *jus hoc regendi caput*, (sic appellat,) in præsentia Cæsaris competat Principibus Imperii, qui simul Statûs sunt, *jure Libertatis suæ*: quod quidem Rex Hispaniæ Grandibus suis indulgeat ex privilegiò. Sanè Cæsar, ut *in Descript. Statûs & Regiminis Ferd. II. c. 4.* habetur, non potest non ex congruo

gruo permittere, ut coram ipso tegant caput non modò Principes quilibet absoluti, nec non Imperii; verum etiam Cardinales, Nuncii Apostolici, & Oratores Regii. Imò in modernis Comitiiis invictissimus Leopoldus, Cæsar, anno 1663, Legatos Primarios Electorum, postquam Curialia utrinque finita fuerant, caput tegere voluit. Und p̄flegen sich allerseits aus Höffigkeit nöbtigen zu lassen / so wohl das Haupt zu bedeckn / als zu sitzen; dergleichen denen selbst in der Audienz bey der K̄nserin / keines angemuhet wird / weil man versichert ist / daß es / ex comitate singulari huic sexui debitâ, von ihnen nicht angenommen werde. Quin & ad Mensam Cæsaris admoti Principes, ab isto, ut caput tegant, rogantur. Idem honoris multo magis Reges alii Principibus Imperii debent. Hinc *Bernhardus* ille *Magnus, Dux Sax. Vinarieusis, glorios. record.* in colloquio cum Rege *Ludovico XIII.* Parisiis A. C. 1636. habito, caput textit, licet non admonitus. Quod quidem indignè Gallos habuit: & quanquam ipsi hoc dissimulaverint; tamen Rex in aliis congressibus se tegere omisit, ne deinceps idem pariter faceret Dux *Bernhardus*. Quanti autem fecerit *Ludovicus Bernhardum*, ex Originali Diplomate, quò insignem pensionem annuam ei promiserat, vidimus, ibi: *Le Roy &c. ayant toute la satisfaction & contentement possible, des tesmoignages, que Monsr. le Duc Bernard de Veymar luy à donné de sa constante affection vers cette couronne, & au bien public, le quel il continue de promouvoir par sa prudence & par sa valeur & courage, qu' il a fait paroistre dans les occasions, qui s' en sont souvent presentées dans le commandement & la conduicte, qu' il a del' armée des Confederez en*

Allemagne, sa Majesté voulant à cause de ce le traiter favo-
 rablement, & luy faire cognoistre l'estime qu'elle fait de sa
 personne, & des bonnes & grandes qualitez qui sont en luy,
 convenables à sa naissance; Elle luy accorde &c. *Exprimat e-*
logium Principis aetern. memor., Historiographus quondam
 Galliae Regis, Laboureur, en *Historie du Marech. de Gué-*
briant, p. 127. BERNARD de Saxe, Duc de Weimar, Prin-
 ce sans contredit des plus illustres & des plus excellens, que l'
 Allemagne ait vû naistre depuis plusieurs siècles, comparable
 aux plus grands hommes de l'Antiquité pour sa valeur, &
 pour l'expérience des armes, & pour tout dire le véritable
 exemplaire d'un Heros parfait. Il estoit sage, modéré,
 chaste, temperant, constant, patient, debonnaire, clement,
 genereux, bien faisant & reconnoissant. Il estoit docte, bien
 versé dans l'Histoire, & avoit l'intelligence de plusieurs lan-
 gues, il avoit en grande recommandation la service de sa pa-
 trie, & la dignité de l'Empire, c'est pour sa liberté, qu'il a
 combattu d'abord, plutost que pour sa propre querelle, &c.
 Nuper admodum Nouvelles curieuses attulerunt in hanc rem,
 quæ in Aulâ Regis Hispaniæ acciderunt; On mande de Ma-
 drid, qu'il y est arrivé un Prince de Saxe, (Princeps secundo-
 gen. Electoralis Saxon. Frideric. August.) mais on ne croit
 pas, qu'il aye l'honneur de voir le Roy, parce qu'il pretend,
 que sa naissance lui donne assez de prerogatives, pour par-
 ler à sa Majesté la teste couverte, ou bien de lui parler nue teste,
 pourveu que sa Majeste ote aussi son chapeau. Le conseil doit
 s'assembler pour deliberer sur cette ceremonie, & les plus sen-
 sez croient, que ce Prince restera ici incognito jusques au prin-
 temps, &c. Aliunde v. compertum est, quod Regi incognito
 locu-

locutus fuerit. Equidem Regni *Gallie* quoque Duces ante-
 hac *caput tegere* coram Rege soliti fuerant. Sed quâ ratione
 illud deinceps cessaverit: v. ex *Vittor. Siri in Journ. des sca-*
vans, ad ann. 1677. Nunc etiam, quando *Legati Principum*
Germanorum coram *Rege Gallie* loquuntur, solet Ipse eos
 stans & detecto s. aperto capite audire, ne & ipsi aliâs, si Rex
 caput operiret, se quoque tegendi libertatem sibi sumerent:
 ita in anno 1667. servasse Regem cum *Electorum Principum*
 quorund. Legatis, notat *Füstenerius c. 62. d. Supremat.* Sed
Helvetiorum Legatos, nuper etiam in modo receptionis suæ
 frustra difficiles, recto capite accipit & audit, ipsis operto ca-
 pite utentibus. v. *Diar. Europ. P. X. p. 846.* Nec debebant
Principes Germania solennem introitum, & tegendi se licen-
 tiam, omittere. Quidni enim hæc in re & similibus eodem
 & vel majori studio agere possent, quò invicem in titulo
Excellentia & ceremoniis *Visitationum*, aliisque, cum tanto
 Patriæ damno, se exagitant. Utique *Principes Italia* ma-
 jori licentiâ ap. *Regem Gallie*, quam ipsi *Electores Imperii*,
 utuntur, ut coram isto tegant capita: hoc prætextu, quod
 non ita addicti sint *Cæsari*. Et tamen ista non sunt addictio-
 nis, sed honoris mutui, qui potentibus debetur. Videlicet
 cum Itali magis in his talibus sibi vigilaverint, hinc possessi-
 onem & assensum Gentium obtinuerunt, ut in jus planè tran-
 sisse ea videantur.

S. V. De *cerâ rubrâ* monendum quoque est, non ha-
 bendum ejus usum pro signo *Libertatis*: ut in *Galliâ* non
 eadem cerâ, quâ Rex utitur, Magnates *Galliæ* uti possint; &
 ne quidem tale quid Rex beneficiò s. privilegio largiatur:
 nisi in *Germania* illud quoque *Libertatis* esse dixeris, quò
 præci

præcipui ex communi jure, cæteri non nisi ex privilegio fruuntur; quod tamen asseri non debet. Certum enim est, Principes Imperii, & nunc etiam Comites universos, & quicumque, personali Dignitate præditi, jus territoriale non modò habent, sed & eo adspirare possunt, ut sunt Apanagiati vel secundogeniti, ceræ rubræ usum obtinere: cum quidem, seculò adh. superiori, Comites Imperii istum speciali privilegiò impetrare oportuerit: ceu *Maximilianum II.* Comitibus de *Mansfeld*, & Hoyoero quidem Comiti, Anno 1512. usum istum privilegio dedisse, ap. Spangenbergium in *Chronico Mansf. c. 348.* legimus, qui tamen antea cerâ viridi usi fuerant. *Speidel. Notab. v. Wachs.* Et falsa igitur est eorum traditio, qui omnibus illis ceram rubram, ex necessitate juris, tribuunt, qui *Jura Imperatoria*, sive in territoriis sive aliter exercent: quo referunt, quod non minus *Camera Spirensis*, item *Academia*, earundem *Facultates*, nec non *Scabinatus*, *Curie Provinciales*, imò *Comites Palatini & Notarii*, cerâ rubrâ utantur: nam in his non ubique jura Imperatoria deprehenderis. Quin & Statuum Imperii posse, vel Collegio vel singulis, ceræ rubræ usum indulgere, ex observantiâ constat: neque ipsi Statús, qui personali Dignitate gaudent, id juris à Cæsare impetrare necesse habent; licet illud olim *Civitates Imperiales* per privilegium quæsierint, ut *Constantia*, *Biberacum*, &c. aliqua etiam, & quidem inter eas tales quoque in quorum Senatu Nobiles aut Patricii habentur, nullâ imminutione Dignitatis suæ, usum viridis ceræ etiamnum tenaciter servant, ut *Lubeca*, *Spira*. *Landsassis* tantùm citrà Privilegium à Cæsare, vel Concessionem à Principe suò, non licet hodiè sibi usum ceræ rubræ

VIR-

vindicare. Ethinc pendet *Taxa Aulae Caesarea*, der Freyheit mit rothem Wachs zu siegeln: quam libertatem s. licentiam obtinuisse videmus à Caesare nonnullas *Civitates Municipales*, ut *Budissinam, Sedinum, &c. Knipschild. Lib. 3. d. Civit. Imper. c. 13. n. 8.* Quibus v. jus illud in consequentiam Dignitatis suae competit, velut *Nobilibus*, (quanquam in illorum Diplomatum istud ubique insertum expressis verbis reperiri, velit *Besold. Thes. Pract. v. Wachs.*) item *Doctoribus*: nam & his istam licentiam controverti non posse vult *Höppingius, c. 3. d. Jur. Sigill. c. 54. n. 72.* cum eosdem infra *Notariorum* Dignitatem deprimi indignum fuerit: illos adstringere ad docendum titulum istius facultatis non licet; nisi *Sigilla majora*, quibus non in propriis actibus, sed in rebus *jurisdictionis* sibi à Domino territorio concessæ, in *ihren Gerichts-Sachen* utuntur, ceræ rubræ, contra observantiam antecessorum suorum, imprimere voluerint: ut ut quàm plurimos tale quid etiam *usu & observantiâ immemoriali* obtinuisse constet; cæteros verò, denegante principe, facultatem illam à Caesare ex privilegio peculiari consequi posse, indubium sit. Unde vel propterea *Nobiles* sibi in *Diplomatibus suis* quandoque specialiter, per expressionem illius juris, *cerâ rubrâ indefinitè* (& non solum in consequentiam Dignitatis suae personalis, *utendi* prospiciunt: atque sic ad *taxam peculiarem* adstringuntur. Etenim aliàs *Nobilem* esse, plus est quàm cerâ rubrâ uti: nam hoc plerumque *Comites* etiam *Palatini* largiri possunt; nobilitatem verò concedere non utique.

E

SE-

SECTIO II.

De

Partibus seu Speciebus
LIBERTATIS STATUUM

genuinis.

§. I.

AEquiparari non modò *Regibus* Electores, saltim illos im-
mediatè sequi, constat: (nam & Reges invicem ordine
suo utuntur, unusque alterum loco sequitur;) verum
etiam *Principes Imperii* indivisò nexu Electoribus adhærere,
& exhinc eodem jure *Liberis Rebus publicis*, ut sunt *Venetia-
rum, Belgarum, Helvetiorum*, anteferendos esse, *Legatio
Neoburgico-Palatina*, in *Conventu Bilefeldiano*, 1671., pro-
pugnavit, (*Diar. Eur. XXIV. p. 214.*) extantque hanc in rem
scripta probè in partem principum munita. Cum primis v.
Archi-Duces, qui inter Principes primum locum sustinent,
Electoribus se æquiparant, & ideircò Legatos suos Principi-
bus in personâ præferendos esse volunt. *Crus. c. 6. de Jure
proëdr. n. 9.* Quod utique magnæ Libertatis habendum est,
& parem haberi, & imò præferri summis posse Imperantibus,
qui nullius alterius Imperio continentur. Est v. species illa,
culmen & apex Libertatis.

§. II. Illam sequuntur, quæ ad *universitatem Imperii* re-
spiciunt; ejusque tum *constitutionem*, tum *administrationem*
s. regimen universi. Equidem Libertatis egregia species est,
quòd *invitus* non possit Status ullus Imperii ab altero Statu
eximi, seu *medietatem* trahi; neque cum neque sine onere.

Et

Et quamvis antehac *Civitates Imperiales*, adeò remanſiſſe cenſerentur in Imperii non modò ſed & Imperatoris patrimonio, ut ejusdem neceſſitatibus, poſt ſubtractos ei redditus cæteros, magis inſervirent; nec propterea tantâ libertate fruereſſent, in quâ quidem Status ſuperiores jam conſtituti fuerant: adeò ut alienari intrâ Imperium vel oppignorari ſaltim potuerint, velut ſuò loco dicitur; niſi privilegiis ſibi proſpexiſſent. Tamen ſequiori tempore, poſtquam membra imperii validiùs unita ſunt, nullò discrimine inter illas & Status reliquos, eò deventum eſt, ut citius Episcopatus, eò quod facilius Capitulis proſpicere liceat, in ſeculum redigantur, quàm extingatur invita Imperialis Civitas: quamvis etiam, quâ *Principatus Eccleſiaſticos*, non illi ſubjiciantur Statibus aliis; ſed uniti fuerint, ſeu addicti, per *Inſtrum. Pacis*, in ſatiſfactionem Statibus aliis, qui locum Episcoporum verſus Imperium, mutatâ in ſeculum facie, tueantur: *Vefontium v. Byſanz*/Imperialis Civitas, Hispaniarum Regi pro evacuando *Franckenthalio* transcriptum in id tacitè conſenſerit: *worbey die übrige Reichs-Städte ſich alle competentia jura reſervirt, und ſolches reſervat von denen geſamten Reichs-Ständen vor dergeltalt billich erfun den worden / daß ſie in deme Reichs wegen ertheilten Conſens außdrücklich bedungen: quòd hac transcriptio Civitatis Biſontini, ejusdemque ſubſecutus conſenſus, futuris temporibus aliisque Imperii Civitatibus non nocere, nec pro exemplo allegari, aut in ullam conſequentiam trahi debeat.* Unde ne quidem *volens* Imperii membrum Libertate ſuâ ſe abdicare poterit. Quod enim *Exteris* decerpta ab Imperio membra, & exuta priſtinâ Libertate, relinqui oporteat, fa-

tum seculi est, cui Regna etiam alia subsunt, ut membra sua non usque servare possint, sed invita etiam destituere illa necesse habeant. Quin & hoc in *Libertatis* suæ speciem Imperii Status trahunt, istudque ad *Cæsarei officii* sponsonem pertinet, quòd nulla *Expectativa* in ditiones suas sive à Cæsare solo, sive cum assumptò consensu *Comitali*, cuiquam tribui possit. Atque hæc ut & plura alia dici poterant pro *Civitatibus Imperialibus* quatuor, *Ueberlingen / Offenburg / Zell am Hammersbach / & Bengenbach* quas *Domus Austriaca* sibi poscebat, zum æquivalent gegen den Verlust der Stadt und Festung Freiburg. Sed non esse rationis paritatem censet *Potentiss. Elect. Brandenburgicus*, quando pro *satisfactione*, sibi ab Imperio ex promisso assertâ, pro tot periculis damnisque pro Imperii tutelâ susceptis, inter alia nunc quidem Civitates Imperiales tres, *Mülhausen / Morthausen und Dortmund* expetit: nec posse Libertatem suam objectare Civitates: quod post sanctionem illam pragmaticam *R. A. 1548.* nullus Status quacunque ratione eximi possit vel debeat; quin potius eò allaborandum sit, ut Circuli Imperii redintegrentur, quàm imminuantur: quòd quilibet Statuum tueri potius Constatum suum teneatur in Libertate illâ communi: quòd ne quidem Libertas illa permittat, ut in collectis seu præstationibus erga Imperium alter voto suo alteri officere, & ne majoribus quidem minora, contra Legem Societatum aliarum, vinci possint: quod per modum conventionis liberæ hæc talia, quæ ad Status cujusquam præjudicium, licet temporale vel subitaneum, vergerent, nec aliter, effici oporteat: quòd cuilibet Statuum Libertas sua denudò per *Instrum. Pac. Osabr. art. 5. §. 4. & Instr. Monast.*

art.

verit, Principes Imperii adv. externos Reges & Respubl. jure summarum Potestatum hæcenus uti, ut Rex Gallia v. c. adv. Statuum Imperii *præscriptione* illâ; civilibus Legibus definitâ, uti non possit; ceu ipsi adv. Regem, (datò quod inter Gentes, vel ipsarum Dominos, Jus Præscriptionis nullum obtineat,) eadem non utuntur. Nam illud quidem solum admitti potest, ut ne contra *Imperium* vel Imperatorem, qui Imperium tenet, ac Rempublicam adeò, in universitate Imperii spectatam, Reges aut Respubl. exteræ non possint uti præscriptione; sed Statûs ipsi tanquam Cives, ut ut eximii, *Civili* Imperii Rom. Germanici *jure* adeo teneantur: ut eodem adv. ipsos exteri Reges, tam quoad formam procedendi in Imperii tribunalibus, quàm etiam quoad decisionem causarum, uti possint. Tamen illud utique Libertatis haberi debet eximiæ, quòd Princeps Imperii, ubicunque degat, nil quicquam imminutionis in *Dignitate* & prærogativâ *Principali* patiat, indeque nec *forum* ejus per causas accidentarias mutetur, (quicquid sit de *Officialibus* eorundem, licèt etiam in emolumentum illorum contrahant, aut in causis, quæ Principes suos concernunt, & circa eas delinquant,) neque etiam *Landsassiatui* subjiciatur: quod quidem, (Landsassiatu exemptionem puto,) Principes sibi invicem deferunt; adeoque Liberratis hunc respectum ordini Principum peculiarem dixeris, qui ad *Statûs inferioris ordinis*, velut Comites, non pertingat: ut tamen hi, ex causis præter eas, quæ in Landsassiatu fundantur, itidem ratione illorum, quæ personas ipsorum ex causis accidentariis contingunt alibi terrarum, ubi Landsassii non sunt, ob jus Libertatis, quò ut Statûs Imperii gaudent, jurisdictioni nulli alii, nisi

supre-

supremæ, subjiciantur. Vidimus notabile præjudicium, quoad exemptionem seu restrictionem si malis, Landsassiatibus, quam Potentissimus *Saxon. Elector Duci Holsatiae Wiefenburgico* tribuit, cum ipsi *das Schloß und Amt Wiefenburg* in ein recht allodial und Erbgut mutaret: tunc enim reservatâ sibi per omnia Superioritate Territoriali, addebat, *Er/der Herzog/ soll auſſer denen Sachen/ welche das Amt Wiefenburg concerniren / sonst vor seine Person/ in Unſern Gerichten zu erscheinen/ nicht schuldig seyn.* Quin & hoc tribuendum Libertati *Principum* putaveram: (*Comitibus* idem fortè solùm in eorum terris, qui Dignitate & viribus ipsis pares aut inferiores sunt, indulgebatur,) ut si in territorio alterius versentur, potestatem suam exercere queant, saltim in familiam seu ministerium & famulitium suum, etiam cum opus fuerit, per ultimum supplicium; si volente Principe illò territorium ejus intraverint: nam idem quoque fas est *Legatis Regiis*, idque cum Juribus territorialibus Hospitis compatibile esse censetur. Neque enim solùm *Christina Suecia Regina* in ipso horto Regio Fontis bellaquei nostrâ ætate trucidari jussit *Monarchi de Monaldeschi*, Rege nil reclamante; sed & Legatorum Regionum unus alterve simile quid in familiam suam suscepit; nim. hæc familia in ipsorum jurisdictione omnimodâ consistit, quaquaversum ambulaverint. Quòd verò etiam *Legati Statuum Imperii* eodem jure uti queant, licèt fortè eo instrui velint, non dixerim. Quid enim juris potestatisque in familiam suam Legati ad *Comitia Imperii* habeant, id loquantur compactata publica, cum actis *Mareschallatus*, & quæ nuper adeò *Ratisbonæ* disputata sunt. An etiam Libertati Statuum deferendum sit, ut debeant posse

dispo-

disponere in terris suis & statuere de omnibus, quæcunque per Leges Comitiorum definita non sunt? ex his quæ de Legislatione Germanicâ dicentur, apparebit. Nam hæc quidem traditio uti crudè effertur, ita examini accuratiori patet. Utrique tenentur illi affigere in terris *Mandata & Edicta Cæsarea*, Legibus tam Comitibus seu recentibus, quam communi Romano-Germanico juri, consentanea: quin & ipsi mandatis suò nomine promulgatis Imperii Constitutiones ad exitum deducere obstringuntur. v. R. U. 1564. §. 32. R. U. 1594. §. Derwegen Wird dann. 38. R. U. 1598. §. 38. R. U. 1641. §. 84. &c. Illud vero Libertatis eximiam est, (cujus analogum quoque Nobilibus Immediatis tribui convenit, v. tamen Inst. Pac. art. 4. §. 28. ibi: *nisi reperiantur subiecti*,) quod Imperii Status, Vasallus Status cujusd. alterius, in Feudo suo, Religionem & Politiam, absque consensu & dispositione Domini directi, & vel invito eò, nisi pacta vel specialia vel communia obstant, constituere vel mutare possit: d. Art. 5. §. 12. ac proinde jus hoc fundi non est. *Frider. Midan. d. Process. extrab. c. 32.* adde *Unrath. d. Jurisd. Eccles. Nob. immed. §. 23. seqq. §. 70. & Dissert. Kern. in 1. vol. Exer. J. P. Fritschii, Exerc. 4.* Etiam si Vasallus unà Domino Seniori Superioritatem Territorialem in Feudum obtulisset.

§. III. Cum primis autem huc *Sacrorum potestas* pertinet. *Libertas* enim *professionis*, seu Religionis simpliciter non rectè ad Libertatem Statuum redigitur. Non etiam *Reformandi Jus* unicè sed universum Jus sacrorum, quod plurima alia continet, (*ap. Sprenger. Lib. II. Jur. Publ. c. 3. & al.*) intelligo. Equidem summam in Imperio potestatem
circà

circà religionem, tot inter Pontificum invasions & abusus, ipsum tenuit *universum Imperium*, Statûsque Ecclesiastici regimen penes *Cæsares* (cùm ipsi adhuc dum in terris Imperii Statuumque Episcopos constituerent & sacra ordinarent, v. Hortleder. *Lib. V. d. cc. Bell. Germ. c. 15. seq.*) constitit: eòque rem deduci volebant, universalis Concilii exceptione, *Protestantes*. Cum v. istud obtinere non possent, (Thuan. *I. Histor.*) suæ simul conscientiæ & ditionibus consulere necesse habuerunt, ut quibus jam præerant cum Superioritate Territoriali, illis dehinc quoque, ad normam Ecclesiæ, per Religionis emendationem prospicerent; sicque *jura Episcopalia*, (non quidem eò sensu, quò hæc Pontificii disponere illisque partim secularia, partim quoque interna Religionis, & quæ ministerii sunt, miscere solent,) cum *Transactione Passaviensi* sibi asseruerunt. Neque enim expressè Protestantibus Ecclesiastica jurisdictio per istam Pacif. concessa est: non etiam illam sibi ex hypothese religionis suæ sumserunt; quasi hæc permisâ etiam permitti illis sacrorum illam potestatem oportuerit, ut L. Hugo *c. 3. d. Statu Region. German. §. 27. seq.* multoque minus cum *Tabore, d. Regim. Imperant. Eccles. tb. 23.* & Boekelm. *Diss. inaug. Med. 1. axiom. 8.* asseri potest, Imperii Statûs Episcopalia Jura, sibi eò usque per injuriam erepta, quæ Superioritatis jure competere ipsis debuissent, recuperasse. Nam sicuti Superioritas territorialis non nisi per decerpta Jura ex Cæsarea potestate, juribusque universo debitis, variò titulò modòque, exaltata est; nec tamen inter hæc sacra Statibus, quæ territoriis valuerunt, competiere: abstracta & usurpata, seu retenta potius, per Papam & Episcopos, in Imperio: Ita omnino Statûs Protestan-

F

tes

tes Jura illa Sacrorum, saltim quod non aliter suis suorum-
 que subditorum conscientia, in re desperata, consulere pos-
 sent, sibimet asseruere; idque cum dehinc pactis firmaretur,
 in partem Libertatis transiit, utut hæc solum ad Statûs *Pro-
 testantes* pertineat. Imò hi etiam deinceps Potestatem illam
 Sacrorum ad *Superioritatem Territorialem*, ejusque partem
 alteram, retulerunt, ut in Instr. Pac. art. 8. idem occurrit, ibi:
*Libera Juris territorialis tam in Ecclesiasticis quàm Politicis
 exercitio.* Etenim Statûs quidem *Catholici*, quamvis refor-
 mationem terrarum, aliaque nonnulla, quæ cæteroquin, ex
 sententiâ Canonistarum, pro sacris & spiritualibus habentur,
 sibi vindicent; tamen Jura Episcopalia pro potestatis Terri-
 torialis parte non habent. Imò etiam ante tempora Refor-
 mationis non utique omnia indulgere Episcopis, qui etiam
 non simul & semel, nec ubique omnia, quæ ad potestatem
 Episcopalem deinde relata sunt, obtinere: eò pertinet, quod
Henricus, Hassiæ Landgravius, circâ A. C. 1277. Moguntino
 A. E. Synodos in Hassiâ agere denegaret: quodque inter cæte-
 ros de *Clivensium Duce*, jam sub initium Seculi XVI., circum-
 ferebatur: *Ein Herzog von Cleve ist Pabst in seinem Lande.*
 Sic igitur pacto debent Protestantes, Jus Sacrorum: debent
 Imperio, cui jure competiit, non Pontifici aut Clero; nisi
 qua hic in partem Catholicam paciscentium transiit: debent
 potentia suæ, quam Deus in Libertatem hanc invalescere
 voluit. Nunc vero sub complexu *Superioritatis*, à Casare
 & Imperio; respectu tamen semper ad originem ex Liberta-
 te habito, recognoscunt. Est enim hoc omnino discriminis
 inter Potestatem secularem & ecclesiasticam apud Protestan-
 tes: quòd ista quidem in recognosci & operari magis depen-
 deat.

deat à Cæsare ; hæc verò, licet ab hoc & Imperio recognoscatur, tamen exerceatur *libere*, nec tam sub Imperio, quàm sub Legibus pactorum : ut dependere aliter ab Imperio, quàm per tuitionem mutuam, & nexum jurium per univesum, non videatur. Atque sic non modò intelligi potest, quâ ratione Potestatem hanc Sacrorum dixerint *Αὐτονομίαν* Religionis: ad exemplum veteris Reip. Romanæ, quæ nonnullis Civitatibus & Provinciis permittebat, ut suis Legibus uterentur, (quamvis & hîc dissimilia plura.) Verùm etiam unde prov eniat, quòd cùm Status Protestantes à *Jure Pontificio*, & in specie *Canonico*, se exemerint, quâ scil. à verbi Divini & rationis purioris, tum & Statûs sui dispositione abscedere videri poterat : non tamen in *Jus commune Cæsareum* (v. R. A. 1544. §. 94. ibi : So soll auch der Augspurgisch und andere Abschiede / desgleichen die gemeine beschriebene Rechte / gegen denen Ständen der Augspurgischen Confession, so viel die Religion / auch diesen Friedstand / belangt / bis zu obgemeldter Vergleichung / suspendirt seyn und bleiben /) reciderint : quòd ipsò sacra quoque definita reperiuntur, vel mixta etiam, v. c. de prohibitionibus graduum, in matrimoniis, & similia. Quanquam etiam illa Cæsarea civilia jura cùm reciperentur, Decretis Pontificum prævalere non potuerint: ac proinde cùm ipse Cæsar cum Catholicis Jure illò Canonico, licet non per omnia ut Pontificio, utantur, non possint non Protestantes ab illo, & si quæ eidem, quatenus ab ipsis reprobatum est, insistit jurisdictio Imperii, ab illâ exempti pactis usuque & liberi censerî. Id quod quidem cum subjectione & Imperio non pugnat: cum primis quod Libertatem Conscientiarum attineat. Igitur speciem hanc Libertatis ex-

imix non habent *Protestantes*, simpliciter ut Statûs, sed ut Statûs *Protestantes*: atque hæc sicut inesse censetur ipsorum territoriis, ita *Nobilil us immediatis* tale quid ex simplici personali jure etiamnum competit. Quapropter ne quidem à Juribus Libertatis Statuum protestantium circa Religionem, ad ipsos *immediatos*, (sive Nobiles, sive alios,) argumentari licet. Nam ita viillius Libertatis, observantiâ Judiciariâ, in Aulâ Imperiali servatur *Assessorum ficta paritas*, in causis inter Imperii Statûs diversæ Religionis controversis: quâ quidem immediati non Statûs non fruuntur, multoque minus *mediati* cives. *add. Tr. nostr. d. Gravam. extraj. c. 6. §. 29. n. 9.*

§. IV. Enimverò sicut magnus utique favor esse debet pro *Libertate Matrimoniorum*, de quibus modò diximus: ita fervituti proximum est, quod Principibus *Gallie* in Domo Regiâ, sine Regis assensu, connubia inire non liceat. v. *Minister. Richel. & Mazarin. IX. c. 6.* Idque non modo nunc sed & antehac, & cum Monarchia non adeò invaluisse. Unde crimini objectum est *Duci Alenfonio*, quod matrimonium instituisse inter filium suum & *Ducis Eboracensis* filium, invitò Rege *Carolo VII.* Et tamen consuetudinem hanc tunc demum validam, (secus irrationabilem,) esse censet *Ertl. in Palastra, d. Jurib. Principum. Exercit. 15.* quando sedes Apostolica illam firmasset. Imò firmamentum satis idoneum mori illi Ratio statûs præbet. In *Germaniâ* v. non est peculiaris illa Libertas Statibus, quòd matrimonia inire possint pro lubitu: istud enim cum omnibus *Germaniæ* incolis commune habent; Sed quod *Dispensatione* contrà LL. positivas, communes illas s. *Canonicas*, *Protestantes* non indigeant. Equidem

Equidem habuisse olim quoque, ratione Principum univer-
 forum, *Imperatorem* jus dispensandi, eò quod Leges Pontifi-
 cia ex receptione Imperiali, & non aliter, Cives Statusve
 Imperii stringerent: & nunc etiam de jure, saltem in actu
 signato, & cum primis ex hypothesi Protestantium, Eum id
 habere, certum est. v. *Ludovici Bavari Imp.* dispensationem,
 inter *Marchionem Brandenburgensem & Ducissam Carinthia,*
 ap. *Goldast. Tom. 2. Monarchia S. R. I. pag. 1385.* Nunc au-
 tem *Catholici Principes* in his talibus Papæ judicio se submit-
 tunt; ad quem Ecclesiasticum judicium referunt. Nam hujus
 esse cognitionem super matrimonialibus, tanquam causa
 spirituali, profitentur: (v. *Petr. Suav. Hist. Concil. Trident.*
Lib. 8. p. 876.) & eò non minus facultatem dispensandi, in
Rege etiam *divinâ morali*, referunt. Plerumque verò Papa
 causas illas dispensationum, Nunciis Apostolicis, Archi-Episc-
 opis vel Episcopis, delegare solet. *Protestantes* autem, sicut
Jure Pontificio quoad *gradus* matrimoniorum non tenen-
 tur, & ne quidem subditi illorum; nisi quâ in terris Princi-
 pum retentum est: Ita pars quoque Libertatis est, quod ma-
 trimonia inire possint in gradibus illo jure prohibitis: (nam
civile jus in his talibus, ubi à receptione ejus Pontificia jura
 locum obtinuerant, ne *Catholicos* quidem unquam obliga-
 vit,) sine dispensatione Cæsaris: *Carpz. II. Consist. 110.* quip-
 pe quòd nec Cæsaris Imperium, quâ conscientias Protestan-
 tium, in actum exercitum deducatur: hique conscientiam
 suam simpliciter, ex interpretatione saniori Scripturarum in-
 forment. Igitur cum possint Protestantes, qui Superiorita-
 te pollent in suis territoriis, sive actu sive potentiâ, pro Li-
 bertate suâ, *præter & contra LL. Imperii s. Canones*, inire
 nuptias

nuptias : ut non minus asseruit *Dux Christianus Megapolit.* in *Diar. Europ. P. XI. p. 529. Statutis* verò propriis & Antecessorum non teneantur, & jus Divinum rigidè observent : hinc inter ipsos & in illorum matrimoniis *nulla dispensatio* locum habet. Ipsi verò *subditis* suis contrà jura communia dispensant ; hactenus quoque summi & indepentes quoad Jus Canonicum, quà retinere istud liberè in suis territoriis : quale quid etiam *Nobiles immediati* per sua judicia Ecclesiastica, (*Rüdinger. 4. Obs. 37.*) inter subditos suos, suscipiunt. Quod si autem casus *inter Principes* aliosve, qui Statutis Provincialibus non subjiciuntur, eveniat, de quò num in eo matrimonium juri divino adversum sit? dubitetur : tunc vel *Consistoriis* suis, oder ihren zu denen *Geistlichen Sachen* *Verordneten Collegiis*, quorum Membra jurejurando, quò Principi vel Domino suo obstricti sunt, ab his relaxari solent, quæstionem illam, ut desuper arbitrium & decisionem num juri Divino conjugium tale congruat nec ne? depro-
mant, vel etiam aliquot *Collegiis Theologorum & Jctorum* Academicis, committunt, damit solche *Heyrahten/ wann sie* *zulässig/ so dann auch vor der Welt nicht angefochten / auch* *die Gewissen beyder Theile desto mehr gestärcket / und* *versichert werden mögen/ das solche Ehe vor Gott nicht sünd-* *lich* (v. *Scripta, Responsa & Judicia, occasione Colloquii* *Oettingæ habitæ, A. 1681. 10. Octob. super matrimonio Ludovi-* *ci, Principis Oettingensis, cum defunctæ uxoris sorore : item* *Responsum Rintel. A. 1652. in pari causâ : ubi tamen n. 618. id* *malè ad dispensationem* refertur, & exemplis *Catholicorum* *Principum, n. 644. seqq.* illustratur, quibus Papa dispensavit. Enimverò si de Matrimonii impedimentis quæstio non ver-
setur,

setur, sed alias ad iudicium contentiosum causa respiciat, ut si de vinculo matrimonii quæstio sit: tunc quidem *Cæsaris jurisdictione* ab antiquo fundata fuerat: eoque pertinet *Tract. de Jurisdictione Imperat. in causis matrimonialibus, Occami, à Goldasto exhibitus, Tom. I. Monarch. p. 21. seqq.* Nunc autem respicere quidem de jure etiam debebant Cæsarem, ejusque jurisdictionem, *Principes Catholici*, nec Episcopos vel Papam adire. *Conf. Deckherr. ad Pacif. Relig. in Art. V. Inst. Pac. Part. 1. p. 151.* Nec potuit Episcopus Monasteriensis in causâ *Matrimoniali Bentheimensi*, (nisi quòd ibi altera pars Reformata fuerit:) aliter quam sub reservatò jurisd. Cæsareæ, intercedere. Es versprochen Münster und Holland in Pacif. A. 1974. art. 6. bey Ihr. Käyserl. Majest. sich dahin zu bemühen/ wie in dem Gräf. Hause Bentheim Friede und Einigkeit/ und zusehenderst eine ehliche Liebe / wieder aufgerichtet und befestiget werden möchte; jedoch hierdurch der Käyserlichen Jurisdiction nichts benommen. Maximè autem *Protestantes* à Cæsareâ jurisdictione liberos esse volunt: Quodque nullum plane iudicem in Matrimonialibus agnoscere teneantur, illud nullam habere rationem aliam, tradit *Cæsar. Fürstenerius, c. 28. d. Jure Suprem. Pr. Germ. in fin.* quàm quòd personæ Principum sint *libere*: ideoque in iis, quæ merè personalia sunt, qualis sit obligatio matrimonii, non nisi conscientia internò vinculo obstringi possint. Et tamen si quæ hîc Libertas Protestantibus competeret, non foret hæc simpliciter à Libertate Personarum, quæ quidem ipsis cum Catholicis communis est, sed à Pactis Religionis causâ initis; modò etiam eò usque porrigantur. Fuit sanè quòd adhuc ad Episcopos dijudicatio illa causarum matrimonialium

um

um pertinere neque illis eam per Pacif. Relig. ademptam fuisse, quidam assererent. Sed v. Refer. ap. Gylmann. Tom. I. P. 1 Tit. 3. in vot. ad Supplic. 8. foli 187. seq. Et artic. V. Instr. Pac. §. 16. ubi §. 20. Pacificatio Relig, declaratur. Quin etiamnum reperti sunt, qui saltim ex eo capite, quod Protestantes non amplius causas Matrimoniales pro spiritualibus habeant, ad *Cameram* eas deferri posse crederent: ut *Mevius 2. Decis. 365. n. 16. 17.* (facilius locum pro illis in Tribunali suo *Wismariensi* reperturus.) Nam tempore fundatæ *Camere* Cæsar & universi Status jurisdictionem *Spiritualium* ad Pontificem referebant, aut tamen nil ex causis Matrimonialibus Jurisdictioni, quoad *Camere* concredebatur, tribuerant, ut saltim penes Cæsarem ejusque Aulam substituisse eam necesse fuerit. Quod si enim Jurisdictio aliqua Matrimonialis *Camere* concessa fuisset: non posset ea usurpari post Pacif. religiosam ulterius, quàm à concedente Cæsare etiamnum in Aulâ usurpatur. Cæterum verò est, quod hodiernum, sive inter Catholicos sive Protestantes quæstio super validitate Matrimonii in *Camere* incidat: illa tanquam præjudicialis, & quæ tamen eò non pertineat, per Decretum *an gehörige Drothe* / seu ad Judicem competentem, remittatur. *Roding. Lib. 1. Cam. Tit. 31. n. 4. §. 5. Reinking. 3. R. S. & Eccl. 1. c. 10. n. 24. seq.* Et cum ad *Camere* illa causa devolvi haud unquam possit; sicut fieri posse debet in his, quarum cognitionem *Austregas* suscipiunt: hinc ad *Austregas* itidem deferri non poterit. *Cæsar* etiam in ejusmodi Jurisdictionem *Spiritualium*, quoad *Catholicos*, non facilè, & non nisi quantum ad conciliationem fieri potest, se intromittit: diremptio enim aut dijudicatio causæ ipsius eò vergentis non nisi Jurisdictionis

nis

nis Episcopalis habetur. Sed nec inter *Protestantes* Cæsar ipse cognoscit, neque ei cognitio illa deferri solet, ne aliàs ad Pontificem referre, aut saltem gravare Protestantes contra doctrinam ipsorum, posset; indeque Principes ipsi deterioris forent conditionis, quàm subditi illorum. Interea ob id imploratus *Cæsar Commissarios* ejusdem religionis deputare solet, ut in *c. Megapol.* etiam quoad punctum sævitiæ, s. *principalem* quæstionem, factum est. (*Diar. Europ. P. XI. p. 546. seq.*) Atq; Commissarii illi deinceps consilio Theologorum & Jurisconsultorum utuntur: eaq; via tutior est, quàm si pars altera, renitente nec compromittente parte adversa, Consistorio suo vel conjuncti Principis, dijudicationem causæ committere vellet: quod *Mylero* placuit, *Gamol. c. 8. n. 6.* Quin & citrà Commissionem Cæsaream pars altera, super facto probè instructo, judicia *Collegiorum* probatorum requirere, eique insistere potest; tunc autem si pars adversa ad Cæsarem, provocet, rationem causæ Cæsareæ Majestati vel ex eo saltem reddi oportet, quòd Jura etiam Libertatis cujuscunque Cæsari & Imperio Status debeant. Utique vix est, ut Decisionem Pragmaticam expectes, cum *Bækelmanno*, *Axiom. 8. Diff. inaug.* quisnam Protestantium Principum judex esse debeat in *cc. Matrimonialibus*? Et quamvis ille tutiorem esse censeat, idque ex naturâ Potestatis subjectionis nesciæ, uti loquitur, *viam compromissi*: hanc tamen non facile est, ut obtineas. Denique si non tam de vinculo matrimonii, quàm de *possessorio*, velut de repositendâ uxore, ut & de *sævitiæ querelis*, de *alimentis*, *dote*, *dotalitio* & *simil.* agatur: ita cum ad Cameram causa deferri possit, etiam ad Austregas posse provocari, dicendum est.

est. v. in cauf. *Megapolit.* Diar. Europ. P. XI. p. 548.

§. V. Sicut autem hæc Libertatis species ad *animum*, ita ad *corpus* illa pertinet, quæ *Judicem* sortiuntur Principes & Comites Imperii, si *capitaliter delinquant*, ubicunque fuerint, non nisi Cæsarem. Sic enim habet *Friderici II.* Constitutio, ap. Goldast. 2. **Der K. Satz fol. 22.** Wo es aber Fürsten und anderen hohen Leuten an ihr Leib / an ihr Ehr oder Recht gehet / das wollen wir selber richten / auff die Weise / wie es in dem Kayserl. Reich von alten Zeiten herkommen / & Constitutio *Alberti I.* ap. Eund. d. 1. fol. 27. Daß des Reichs Hof habe einen Richter / der ein Freymann sey / und die Leute richten soll / die ihme klagen von allen Leuten / ohne Fürsten und andere hohen Leut / wo es gehet an Ihr Leib oder an Ihr Ehr / *ic.* Consonat *Spec. Suev.* ap. Goldast. Tom. 1. **Der K. Satz. fol. 37.** Über der Fürsten Leib und über ihr Gesind soll niemand Richter seyn denn der König. *Eamque sententiam servant Doctores ap. Myler. ad Rümelin. Part. 2. Disp. 1. Cor. 5.* Illud nemo negayerit, quin Imperio Romano ejusque Majestati Jus vitæ & necis competat. Quòd si etiam *Aristocraticum* foret Imperium, eodem posset uti in Senatores singulos; nisi quòd sic etiam meminisse oporteat Aristocraticos Doctores, quòd Principes Imperii ad *Optimum* jura communia censumq; in Republ. nostrâ redigi non oporteat; quin potius singuli quid Libertatis, quæ par est Regiæ, præferunt. Hinc licet ab antiquo Jurisdictio capitalis penes Cæsarem resideat; saltem quòd non solita fuerit Majestas Cæsaris sine assumptione Electorum, si non omnium saltem quorundam, & aliorum Principum Imperii,

in

in re tanti momenti, quæ motus in Imperio excitare potest, decernere. Tamen ultrà hominum memoriam ultima in Statum Imperii, sive Principem s. Comitem, supplicia nulla, sed captivitates aliaque remedia adhibita sunt: quæ tamen procedendi ratio non tam ad quæstionem juris quàm consilii pertinet. Planè in causis *fracta pacis*, ubi proscriptio s. bannum condemnato periculum capitis & vitæ infert, iudicium Camerae Spirensis, nec minus Aulicum Imperiale, cognoscere potest. Illatum quoque Bannum hæctenus est per iudicia illa *Civitatibus quoque Imperialibus*, licèt Statibus, citrà Comitiale placitum. (Nam de Banno, aliis quàm Statibus inferendo, dubium nullum est.) Videlicet executio illius adversus Communitates aliàs quoque facilior: & Imperialium Civitatum vita caputque periculo non eò modò ut Principis exponitur. Nunc verò, uti non modò Aulae Imperiali simpliciter Principes proscribendi facultas, aut ejus exercitium potiùs, controversum vel dubium redditum, sed & agrè Camerae Imperiali ampliùs permitti voluit: quicquid sit quod huic custodia Constitutionis Pacis publ. vel maximè injuncta, nec ad eò iudicium illud suspicioni, eò quòd ex Assessoribus promiscuis constet, suppositum sit: Ita per Capitulationes *Ferdin. III. art. 28. Ferd. IV. art. 30. & Leopold. art. 28.* huic causæ quadantenus prospectum, & nunc in *Comitiis modernis* pleniùs definitum est: ut scil. non possit reus cènseri *Lese Majestatis* Status aliquis Imperii, (cujus causæ iudicium jam olim *Rußdorffius* in *Vindic. caus. Palat. c. 20. cum pluribus aliis*, ademerat Cæsari, & *Comitiis* tribuerat:) nec in bannum declarari,

aut *pro hoste Imperii* haberi: (quod itidem ad Comititia
relatum voluerat *Hippol. à Lapide Part. 1. c. XI. d. Rat.
Stat Sect. 2.*) nisi de *Comitiali* Statuum consensu. Et
sic tamen nil Cæsareæ potestati detractum esse putan-
dum est: quin potius ipsa vis Jurisdictionis summæ, e-
tiam in hoc capite, penes illam Majesticè residet:
modus tantum, ne in injuriam cujusquam vergere pos-
sit, exercitio ejus circumpositus est. Quin & *Electo-
res*, si quando casus, nullis Comitibus existentibus, oria-
tur, solis sibi ex Capitulationibus asserunt prærogati-
vam hanc, præ aliis Imperii Statibus: quòd ipsos Cæ-
sari in consilium super tali sententia concipiendâ acce-
dere sufficiat. Nec tamen omnis nostra disquisitio de
banno, causisque illius, suscipitur, & quibus hoc in-
fligi potest: verum etiam de *criminibus aliis*, & præci-
puè quidem illis, quibus *capitis* aut *corporis afflictiva
pœna* in Republ. R. G. præstituta est. Ubi quidem, si
in proprio territorio quis delinquat, Cæsari ejusve Au-
tæ cognitio defertur: quanquam difficile sit, ut pœna
etiam promerita executioni detur, eò quòd summa
Statuum *Libertas*, maximè in Principibus & Comitibus,
personalis illa, hucusque effecerit, ut ferè inviolabi-
les haberentur; hoc solum ad Reges discrimine, quòd
declarationem judicariam & quid promeriti sint, su-
stinere cogantur. Hinc etiam non admittit eminentia illa,
quam & *Reges Hispania, Svecia, Dania*, n Statuum con-
ditione versus Imperium suscipiunt, ut si quæ adv. I-
psos declaratio *Banni* suboriri posset, illa aliter quàm in
privatione jurium Statûs & fortunarum, quæ ab Impe-
rio habent, executionem sortiatur. Imò etiam cri-
mi-

minum, quæ Statûs Imperii *in subditos suos* committunt, rationem habet Cæsar, spretâ Hippol. à Lap. sententiâ, *P. 1. d. R. Stat. sect. 1. n. 22.* quasi Imperatori curæ non sit, quomodo quisque Statuum subditos suos tractet: cum tamen Ille lites etiam inter Statûs & subditos ipsorum incivilibus dijudicet, subditi etiam ipsi mediâtè subsint, quibus quoque privilegia concedit, & in ipsos immediâtè reservatis suis utitur: adeò ut malè huc à nonnullis applicetur illud Davidis *Psal. 51. v. 6.* Ad *Cameram* verò *Imperialem* causarum aliarum criminalium præter fractæ pacis, cognitio, & ne quidem in alios qui Status non sunt, non pertinet. *C. G. D. P. 2. Tit. 22.* ibi: *allein Malefiz - Sachen ausgenommen /* & *arg. P. 2. Tit. 9.* ubi tantum super *c. fr. pacis X. 2. 1594. §. 68.* Quòd si Status Imperii *in communi* *Territorio* delinquat, non erit Judex ejus alter *ConDominus*, sed Cæsar. Si in *territoria* Statûs *alterius*; tunc quidem huic jurisdictionem aliqui largiuntur, modò poena delicti non sit corporis afflictiva; *Gail. d. Pignor. cap. 14. n. 3.* aut delictum *Dominum* territorii concernat: quò utroque casu *Cæsarem* adeundum esse volunt. Sufficiat autem *b. l. ostendisse*, quò usque Libertas Statuum ratione corporis illorum se extendat. Sanè *Fürstenerii* doctrina apertè falsa est, quando is adeò inviolabiles esse Principes Imperii opinatur, ut nullò unquam casu criminaliter accusari vel condemnari queant: & si quid tale contra ipsos tentetur, istud *per modum belli* fieri, quòd hostes declarentur; non aliter atque Reges quilibet exteri. At verò si *Leges Imperii*, quod debebat, secutus fuisset,

non adeo impingeret *Fürstenerius*. Nam illi hostes habent & retinent communionem juris Gentium, quam nec iisdem eripere nostræ potestatis est. Sed Principes Statûsque nostri, qui Imperii jurisdictioni subsunt, hostes tantum Imperii declarantur, ob potentiam bellicam quâ valent, non aliter: cumque banniti adeo cives nostri juribus quoque Gentium excidant; Gail. II. d. P. Publ. c. 1. §. 22. non censeantur etiam bannò inflictò exterorum vice, ut nimirum cum ipsis, tanquam hostibus aliis liberis, sit communio Juris Gentium. (v. H. Grot. II. d. J. B. & P. c. 18. §. 2.) Hinc uti ipsa declaratio ad effectum executionis fit *vi jurisdictionis*: ita hanc facinorosus s. condemnatus non egreditur; quin potius executionem subit per potestatem jurisdictionis, atque plectitur adeo tanquam subditus adhuc ex Imperio. Est quoque affectata, imò falsa apertè sententia, quòd ne quidem in Cæsaris potestate assumptò licet Comitiorum arbitrio, positum sit, post *Instrumentum Pacis Osnabrugense*, in Principem injustè quid facientem animadvertere; sed quòd hoc *ad Coronas paciscentes etiam* pertineat, habeantque nunc Imperii Principes universam Europam judicem. Enimverò sic Libertas Principum nostrorum subjicitur exteris. Ita jurisdictioni Imperii exempti submittantur peregrinæ, longè inferiori. Ita committuntur arbitrio sponsorum. Ita hos putabitur Imperium posthâc in cognitores elegisse, super Juribus Reipublicæ suæ universis: nam hoc eadem facilitate sequitur. Nisi quòd etiam vicissim Principes nostros Statûsque judices agnosci oporteat Regum & Coronarum exterarum, ex sponsione mutuâ. At verò hæc

hæc univèrsa repugnant dispositioni pactorum, & à Gu-
arantia alienissima sunt. Remissa potius si non aliter,
fanè disertis literis, jura Statuum ad orbitam suam, &
in finibus relicta Comitiorum. Loquantur ipsæ Tabu-
læ! Quid v. si Princeps Imperii *ap. exteros* delinquat.
Equidem si Rex territorium suum egreditur, adhuc
Majestatem suam circumferre censetur: ut licèt nil ille
potestatis habeat in subjectos illi Territorio; tamen nec
hujus Dominus potestate in illum, tanquam parem, va-
leat. Proinde ab isto, licèt capitaliter delinqueret, pu-
niri non potest: cùm insipida sit conjectura, quasi de-
linquendò autoritate Regiâ exciderit, aut in privatam
conditionem transierit: (Privatum enim dicunt, quam-
vis & hoc minùs congruè, quòd aliàs etiam citrà deli-
ctum potestate Regiâ in aliendò non gaudeat:) imò
Domino illius regionis semet subjecisse credi possit. Quòd
si verò hostem se præbeat aut hostilla moliatur, velut
populum ad seditionem concitandò: tunc occidi qui-
dem ut *hostis*, sed non puniri ut subditas poterit. Igi-
tur *Maria Scotia Regina*, quæ multa in caput *Elisabe-
thæ*, Reginae Angliæ, statumque publicum, machinata
esse dicebatur, juxta ea quæ refert *Cambdenus*, P. 3. *Hist.*
Elisab. p. 45. 2. seqq. & *Meteran. L. 13. Hist.* ut & *Fam.*
Strada. Dec. 2. Lib. 8. pro hoste quidem haberi poterat;
(v. capita rei, per *Bæclerum* in *Excerpt. Controv. Il-*
lustr. 31. disposita,) nec tamen si necari potuisset, per
manum carnificis suppliciò feriri debeat: ut hæteus
authori *Epitaphii* ejus, quòd *Cambdenus d. l.* recenset,
accedendum videatur, quando in eòdem, *cum cineri-*
bus illius, omnium Regum & Principum violatam &

Prostratam Majestatem tibi jacere, expressit. Quæ autem in personam *Regis capti* liceant victori, alibi exponitur. Interea simile quid meritò tribuent Reges exteri *Principibus* nostris, ut suppliciis in eos abstineant, quando capitaliter in ipsorum terris deliquerint: unde nec videbatur *Carolus Andegavensis* Neapoli ad gladium damnare posse *Conradinum* ultimum *Ducem Sueviae*.

§. VI. Caterum quæ de reservatâ Cæsaris jurisdictione in caput & corpora Statuum Imperii diximus, non facile quis ad *Nobiles immediatos* porrexerit, imò ne quidem ad *Senatores Civitatum Imperialium* ea pertinent. Num verò ad *Exemptos Imperii!* ut in articulo hoc provocare ad immediatam Cæsaris cognitionem possint. Deliberandum est. Omnino rationem haberi oportet Dignitatis in immediatorum aliqua specie, *Assessorum* puta *Cameralium*: quâ de re etiamnum disquiritur. Enimverò si quæ illorum præcipue criminum, quæ in *Ord. Cam.* adducuntur, in aliquo Assessorum se exserere voluerint, protinus hoc agendum est, ut in herba suffocentur; idque ab ipsa Camera, (& vel illorum quoque ratio habebitur, qui in alia loca jam dimissi sunt: quippe quoddam adhuc caractere pristino immedietatis uti credantur,) nec minus hoc in wichtigen Dingen / so wieder Eyd / Pflicht / Stand und Amte lauffen / v. C. G. D. P. I. Tit. 64. §. 5. & R. U. 1566. §. 88. Quòd si etiam vel in *Assessoribus*, vel *Advocatis & Procuratoribus*, in scandalum erumpant crimina, Judicio ipsi Camerali, tanquam primæ illorum, atque privilegiatæ instantiæ, punienda relinquuntur, P. I. T. 66. & P. III. T. 63. §. 14. In eo sanè videtur ratio

tio ipsorum Dignitatis, & Assessorum cum primis, habita fuisse, quòd *Ordinatio* velit eos, in presentia duorum vel trium Assessorum, per Judicem & Præsidis, in initio dehortandos esse, in der Güte. *P. 1. Tit. 6. pr. §. 1. seqq. Tit. 10. pr. §. seqq. R. A. 1566. §. 86. R. A. 1576. §. 62.* Atque si nec dum quid proficiant hortantes, fieri admonitionem debere, presentibus omnibus Assessoribus, idque mit fernerer Verwarnung. *d. Tit. 6. §. 1. & Tit. 10. §. 2.* Jedoch alles in gebührender Bescheidenheit/ wie sichs gegen solchen Standes Personen geziemet. *R. A. 1576. §. 62. d. Tit. 10. sub. fin. pr.* Tandemque si non desistant, mit Geld oder andern Straffen anzusehen. *Tit. 10. pr. §. 2. aut v. si quis incorrigibilis, vel delictum quoddam enorme fuerit, ihn gar abzuschaffen. d. Tit. 6. in f. pr. add. P. 1. Tit. 3. §. 4.* Nam *pœna corporalis* aut *supplicii ultimi* executio in Assessores Camerae non concessa est. Casu quò negligens videri posset Judicium Camerae, *Visitatores* eò modo procedere possunt: *P. 1. C. G. D. Tit. 5. §. 22. Tit. 10. §. 2. Tit. 64. §. 13. seq. R. A. 1576. §. 62.* nec minus coram his causa peragenda est, quando de *Syndicatu* agi vellet. *C. G. D. P. III. Tit. 63. pr. & §. 10.* Qua ratione tamen, quoniam hæc actio Civilis est, Cæsar reum convictum in super punire potest. *d. Tit. 63. §. 14.* Decreverat quoque nuper ad eò Commissionem *Aula Cæsarea*, auff Ehur Maynz und Ehur Trier / ad inquirendum in crimen *Repetundarum* adversus Assessorem Camerae, corruptionis insinulatum. Non putavit *Potentiss. Elect. Brandenburgicus* rem istam solius esse arbitrii Aulae Cæsareæ; saltem æquitati consentaneum quoque putarunt

Statûs *Protestantes* cæteri, ut in Commissione istâ paritas religionis circa *Deputatos* servaretur.


§. VII. Quamvis autem Jura *Potentatus* à Juri-
 dus Libertatis omninò discernenda sint; neque hujus
 loci sit de *Jure Belli*, quâ Statibus competat, disquisi-
 tio. Tamen inter eximia Libertatis non minùs *jus ar-*
morum censendum est. Eò gravisus esse *Statûs* ab an-
 tiquo universos, & vel maximè etiam *Civitates*, lo-
 quuntur & prælia invasionesque, & defensa olim ar-
 mis jura. Hinc etiamnum *collectio, lustratio militum,*
sequela subditorum, fortalitia, servitia Vasallorum mili-
tarium, Armandia, & sim. Aliter longè atq; inter
 Romanos: *l. un. arm. usus.* saltim quòd id jus armo-
 rum quoque ad beneficium Imperii; & ejusdem exer-
 citium, ad tutelam securitatemque & salutem ejus re-
 ferant. Etenim Statuum debita, officia, & jura nunc
 quidem ita comparata sunt, ut sine armis expediri ne-
 quidem possint. Tenentur scilicet violatores Pacis Pu-
 blicæ, aut recenti adhuc facto, aut postea cum commo-
 dum fuerit, persequi, *Handhab. des Friedens zu*
Wormbs. 1495. Tit. Racheilen zu frischer That / nec
minus assistere illis, qui contra Pacem publicam offen-
duntur, atque iis tanquam in causâ propriâ opitulari. Ordn.
des Landfr. zu Wormbs. 1521. Tit. von aufgerichtetem Landfr.
Tit. die Poen aller Friedbrecher. R. U. 1555. §. 31. Milites
quoque in suo territorio sine suo præscitu aut voluntate
concurrentes vel congregatos dissipare; R. U. 1555. §. 50.
suorum v. militum numerum mittere in auxilium Impe-
rii, juxta matriculam, als zur Creysshülffe. §. 79. Deput.
Ubsch. 1564. §. 18. 22. & extendere numerum si opus fue-
 rit,

rit, ad duplum, triplum: *R. A.* 1566. §. 24. Tum & *execu-
tioni Imperiali* vim armatam impendere *C. S. D. P. 3. Tit. 49.* suosq; Constatûs juvare, contrâ subditos seditiosos.
R. A. 1526. §. 9. *R. A.* 1529. §. 14. Imò ut parati sint milites,
ad arcenda pericula à finibus propriis, idque etiam zu ge-
meiner Rettung und Beystand/monentur. *R. A.* 1555. §. 54.
De cætero armis uti non possunt *ad jura sua asserenda.* Et
cùm per pacem publicam constitutum sit, ut nemo inpo-
sterum *jure manuario* amplius uti, sed judiciò se submittere
debeat, idque sub pœna banni; atq; judicata debitò modò
præstare. *R. A.* 1555. §. 93. *C. S. D. P. 3. Tit. 43. §.* Und
mag alsdann. Hinc jus illud armorum à jure belli facilè di-
stinxeris; & sicut neminem armis petere fas est, *Pac. Publ.*
& *Instr. Pac. Osnabr. art. XVII. §. Veruntamen,* der sich ge-
bührlichen Rechtens erbeut: *C. S. D. P. 2. Tit. 9. §. 3.* nec
pro *exigendo* sinè judiciò, nec pro *impediendò* jure. Ita
adversus aggressorem, qui difficulter ostenderit, justiti-
am sibi administratam non fuisse, defendere se *naturali*
jure, & per ipsas *Const. Imperii*, concessum est, *d. §. 3.*
multòque magis sua jura tueri adversus subditos suos
refractarios *R. A.* 1526. §. 6. 9. *R. A.* 1529. §. 14. & *Ca-
pit. Leopold. art. 7.* Ita ne quidem arma vertere licet
adversus Exteros, pro turbandâ in Imperio pace; Imò
ne quidem cum *sociis* aut *fœderatis* exteris: ut scilicet
miscat se Status extraneis bellis, tanquam socius; (se-
cus si tanquam miles operam suam commodet stipen-
diis ac præmiis; vel cohortes non ut suas, sed ut belli-
gerantium proprias, Exteris adducat.) Nam ita ne qui-
dem *fœdera* permiffa sunt Statibus, ut iisdem uti ea-
demque exequi velint, Imperii periculo, & contra

pacem ejus. Tueri tamen se & Constatus suos adversus externos non modò licet, verum etiam, ut hoc fieri debeat, ingeritur. R. U. 1544. §. 50. 64. Denique annexum videri poterat huic parti *Libertatis*, quòd *Cæsar* intrà Statûs alicujus ditionem *nova munimenta extruere*, aut *vetera præsiis firmare*, Imperii ne quidem nomine, non possit, (nisi hoc fiat de consensu omnium Ordinum. *Inst. Pac. art. 8.*) Possit verò *Status Imperii* in suo vel nova erigere castra vel reædificare, irrequisitò consensu Cæsaris. Et neutrubi tamen Libertas plena est, ut in cæteris: cum enim in his, quæ verè Libertatis sunt, non possit nec solus Cæsar, neque cum Ordinibus quicquam statuere, quod in Libertatis illius imminutionem vergere queat; intercedunt non tantùm quoad munimenta, Imperii nomine intrà ditiones Statuum, *Conclusa Comititalia*: verùm etiam si quis Statuum in suo territorio monumentum novum extruere vel vetus reædificare velit, quorum unum alterumve ad æmulationem vicini, vel adversus privilegia ejus, aliumque in finem, qui de jure improbari possit, suscipiatur, Cæsar omninò inhibere ædificium potest. Myler. *P. 2. d. Jur.*

*Princip. & Stat. Imp. c. 77. n. 3. conf. Acta wegen
des Bestungsbaus zu Udenheim oder Philipps-
burg. ap. Lundorp. Tom. I.*

SOLI DEO GLORIA.



1077

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Kodak
LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

